


INSCRIPTIONVM SINGVLARIVM,

MAXIMAM PARTEM NOVISSIMARVM,

FASCICVLVS,

QVAS
IN ITINERE SVO, ANTE QVADRIENNIVM IN ITALIAM FACTO, ADHVC AVT INEDITAS, AVT TYPIS SPARSIM EXSCRIPTAS REPERIT, EASQVE NVNC IVNCTIM
EDIDIT

JOACH. CHRISTOPH. NEMEITZ,
SERENISS. WALDECCÆ PRINCIPI
A CONSILIIS AULICIS.

ACCESSIT ARGVTARVM DE REBVS SVECICIS DICTIONVM, DIVERSIS TEMPORIBVS AB IPSO ELABORATARVM,

ENNEAS.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

LIPSIÆ,
ANNO MDCCXXVI.



Lectori benevolo S.

QUod in Italiam diu meditatus eram iter, illud ipſum haud ita pridem mihi facere licuit. Ut a puero humaniores amavi literas; ita increbeſcentibus annis eam præcipue horis ſubceſivis excolendam ſelegi elegantioris literaturæ partem, quæ de ſtylo lapidario, ſive de argutis Inſcriptionibus, agit. Non inutilem me operam facturum credidi, ſi illud na-

tale solum ipsemet viserem, unde primæ nobis in his regionibus venere Inscriptiones, sperans, ibi me adhuc aliqua reperturum, quæ alibi frustra quæsiverim. Nec opinionem fefellit spes. Præter enim nobilissima antiquitatis monumenta, Grutero, Reinesio, Sponio, aliisque Viris eruditis dudum observata, talem hinc inde adhuc reperi Inscriptionum, præcipue modernarum, messem, dignam omnino judicatam, quæ studiose a me colligeretur. In recordationem jucundissimi itineris privato primum oblectamento illas destinaveram; sed cum deinceps judicavi, exiguam hanc collectionem non ingratam etiam fore aliis, qui hujus-


jusce generis ſtudiis delectantur, facile paſſus ſum, ut ex ſuffragio Amicorum quorundam, in Republica literaria non uno nomine celebrium, quibuscum illas communicaveram, typis exſcriberentur. Non autem tibi velim perſuadeas, Lector benevole, me omnes, quæ in itinere hoc Italico mihi obvenere, ſcripſiſſe ac deſcripſiſſe Inſcriptiones. Selegi ex plurimis aliquas, easque & genio & ingenio meo accommodatisſimas, quæque vel factum aliquod memorabile in ſe continent, vel Perſonæ cujusdam illuſtris mentionem faciunt, vel etiam ſtyli nitore, dictionisque acumine ſeſe commendant; & mireris ſane, alium in Ve-

netis & Paduanis, in Neapolitanis, Romanis, Florentinis & Mediolanensibus iterum alium esse scribendi modum, singulasque suas habere Veneres, suas elegantias, solo natali proprias. In duas vides distributas classes, quarum una sacras, profanas altera comprehendit; non quidem, quod omnes, quæ Sacrarum nomine veniunt, Inscriptiones, res etiam sacras tractent; sed quod in templis, monasteriis, orphanotrophiis, aliisque locis piis & sacris conspiciantur; quemadmodum & vice versa inter profanas, ædificiis publicis palatiisque affixas, aut parietibus incisas, quædam comparent, quas Sacris merito annumeraveris. Ordinem

dinem locorum ſecutus ſum, quem mihi monſtravit filum itineris, nullo habito reſpectu ad antiquitatem, dignitatem, præeminentiam potentiamque Civitatum Rerumque publicarum. De quibus nil dixi, illas nec viſere mihi licuit, tranſitu præſertim libero Genuæ, Auguſtæque Taurinorum, quas cæteroquin adire volupe erat, ob metum luis peſtiferæ, vicinam Galliam tunc temporis adfligentis, absque ſevera quadrageſimarum obſervatione, interdicto. Adjeci in calce libelli ob ſimilitudinem argumenti octo de rebus Svecicis, Inſcriptiones, quas data occaſione compoſui, quarum quoque priores quatuor jam ſeparatim typis

pis

pis exſcriptæ proſtant, reliquæ autem quatuor nunc primum lucem publicam aſpiciunt. Quam ultimo loco in Comitem Oxenſtierna vides Inſcriptionem, Autorem agnoſcit Johannem Staudium, Miniſtro huic olim a ſecretioribus literis, quam &, ut Stenbockianis affinem, & adhuc quod ſcio, ineditam, heic addere placuit. Tu interim, L. B. bene vale, conatusque hoſce meos favore tuo dignare.



Vene-



VENETIÆ.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

IN *æde ſacra, dicta la Carità*, videbis tabulæ nigræ pervetuſtæ inſcriptum:

ALEXANDER PAPA tertius Friderici primi Imperatoris iram & impetum fugiens, abdidit ſe Venetiis, cognitum & a Senatu perhonorifice ſuſceptum, Ottone Imperatoris filio navali prælio a Venetis victo captoque, Fridericus pace facta ſupplex adorat, eidem & obedientiam pollicitus. Ita Pontifici ſua dignitas Venetæ Reipubl. beneficio reſtituta M D LXXVII.

Aliud ibidem:

ALEXANDER III. Pontifex Maximus, Federici a rabie profugus, has ſacras Regularium ædes pro munere receptæ hoſpitalitatis, inexhauſto Indulgentiarum theſauro perpetuo ditavit. 1577.

In *templo Sti Marci* ſub pictura Sti Chriſtophori:

Chriſtophori Sancti ſpeciem quicunque tuetur,
Ipſo namque die nullo languore tenetur.

In *æde St. Leonis* ſub Baptiſterio:

Hoc fonte abluitur primorum noxa Parentum.

Non *procul a baptisterio humi:*

Ossa
R. D. NATALIS DE MEDIIS J. U. D.
summæ integritatis Viri,
qui in dierum suorum medio
hic invenit occasum
exspectans ad tubæ sonitum
æternitatis natalem.
anno M D C L X X X I X.

Supra *Portam sacristiæ* in marmore:

ANDREÆ PISANI, Petri filii,
flebile fatum illacrymat saxum,
& lapidea voce portat illius laudes,
quod pietas, morum candor, civiles elegantiæ,
& jura amicitiæ illibata
cum illo interiere.
Anno 1669. mense Majo Die 29.

In *æde S. Stephani Regularium* Augustinianorum.

MARINUS GEORGIUS, Philosophus, Orator, Senator clarissim. qui propter optimar. artium studia fuit tota Italia, exterisque gentib. summo honore ac nomine. Legatus innumerabileis Provincias obiit, domi forisque Magistratus ampliss. quosque facillime adeptus est, & summa cum laude gessit. Inter quos captivus pro Rep. factus in diuturnam valetudinem cum incidisset, leges urbanas ex S.C. corrigens, lugente Civitate extinctus est. H. S. M. quod Helena Maura Ux. sequatur T. F. V. Vix. ann. LXVI.

Epitaphium Antonii Cornaro, Philosophi:

ANTO-

ANTONII ad cinerem Viator asta,
Hic CORNELIUS ille, quem solebant
Rerum principia & Deos docentem
Olim Antenoreæ stupere Athenæ,
Accitus patrias subinde ad oras,
Ornatus titulisque fascibusque,
Doctrina Venetam beavit Urbem.
Obiit anno æt. suæ LII.

Sub *effigie marmorea Petri Portæ:*

PETRO PORTA, Philosopho Medicoque præcel. doctrina, virtuteque tam in patria, quam in hoc ac aliis Relig. Monasteriis & locis piis celeberrimo, immatura morte prævento, Melchior frater & Marcus Balareno, ambo J. U. C. ex testamento M. H. P. C. Obiit anno Domini MDCXVV. VIII. Id. Jan. ætat. anno XXXVIII. mens. X. dies XVI.

Supra *portam majorem* intus Mausoleum quoddam cum statua equestri, & sub hac:

DOMINICUS CONTARENUS, ductore copiarum Liviano,
Provisor Generalis,
Helvetiis sub oppido Melegnano prostratis,
auctis in Lombardia Venetis,
Lilia stemmati Contareno a Francisco Gallorum Rege injunctis;
Fœderata Gallo Republica
virtutis accipit monumentum
Angelus Eques D. M. Procurator, & Dominicus Frater
Patruo Maximo ex testamento P. P. MDCL.

Ad *latus dextrum icon marmorea* cum ſequenti inſcriptione:

ANGELO CONTARENO, Equiti, ac D.
Marci Procuratori,
quem Reſpub. ſummis adminiſtrationibus
natum nacta,
poſt adoleſcentiam maximis laudibus traductam,
ad ſupremam usque ætatem præcipuis Urbis Magiſtratibus,
Civitatum Præfecturis, & per Europam ordinariis
& extraordinariis Legationibus addixit.
Apud Galliæ & Angliæ Reges, Ferdinandum III.
Urbanum VIII. Innocent. X.
Pontifices Max. feliciſſime ubique compertum
ſemper deſiderabit.
Huic immortali Heroi
Dominicus Contarenus frater ſepulchralem
ædem P.
Anno MDCLVIII.

In *periſtylio cœnobii* non procul a ſacello de Conti del Zaffo:

Qui Reip. in adminiſtratione verſamini, & ad ampliſſimos in ea gradus rite contenditis, LAURENTII ROCCHA, Ulyſſis Doct. Filii, Magni Venetorum Imperii Cancellarii exemplum vobis imitandum proponite. Nam cum virtutes ipſe reliquas, quarum cultor usquequaque ſtudioſiſſimus extitit, ea ſemper bonitate atque innocentia decoravit, ut ſui ordinis Principatum incredibili omnium conſenſu fuerit conſecutus, annos ad ſeptuaginta jam natus, e tenebris in lucem excedens

dens certiſſimam veræ gloriæ & honorum adipiſcendorum cunctis rationem declaravit. Gregorius Stephanus Nepos gratiſſ. P.

Pone *cœnobii portam* ſepulchrum cum imagine marmorea:

Auguſto hoc clauditur cippo,
cujus auguſtam non capit orbis famam,
DOMINICUS MOLINUS,
qui in conſervanda Reip. Majeſtate, provehendaque
literarum gloria nunquam quievit.
Fratri dulciſſimo
Franciſcus D. M. Procur. mœſtiſſ. pos.
Obiit dec. ſex. Kal. Decembris MDCXXXV.
Vixit annos LXII. dies XXVI.

Ibidem *ſub ſtatua marmorea* Viviani Medici:

D. O. M.
VIVIANUM VIVIANUM Venetum Civem,
Medicum vere opiferum & ſalutarem,
cui cæteri, vel primores,
aſſurgerent merito, faſcesque ſubmitterent,
multos jam annos
lingvæ manusque uſu a paralyſi multatum,
ut amplius ſcribere nequiret,
Mors tandem ipſa tradidit immortalitati,
quam ille prius
clariſſimo nomini
docta ſcriptione paraverat.
Obiit IV. Non. Mart. anno a Chriſto nato
MDCLVIII. ætat. LXXVIII.
Antonius de Scobbis mœrens merenti P.
æternum grati animi monumentum.

Non procul ab hoc offendes elogium *Car. Rudolphi*, famoſi quondam Pictoris, quique ipſemet ſcripſit vitas Pictorum:

Siſte pedem parumper,
Amice Viator,
Conditur ſub hoc lapide
CAROLUS RODULPHIUS, Auratus Eques,
qui cum alios
calamo,
& penicillo
e ſepulchris
eruere conaretur,
tumulum ſibi paravit,
ut quies tandem
laboribus inveniretur.
Dic requieſce, precor,
& abi.
Vixit annos LXIV. menſes V. dies V. Obiit anno
Dni MDCLVIII.

Supra *portam ſacelli cujuſdam* in periſtylio:

Siſte, quiſquis es, gradum, & cinerib. nob.
CONTAR. ſalvere rite juſſis fœlix abito.

Prope Sacriſtiam:

LAZARUS FERREUS
Aloyſii Com. J. U. D. Filius
Vir Patritius
Ex antiquorum in Belgio Belmontis Comitum claro ſanguine,
ſapientiſſimus, eloquentiſſimus integerrimus
Juris Conſultus,
excelſis ingenii atque animi dotibus, aſſiduis tum
Juris

Juris publici
tum privatorum bono, clarisque laboribus
ſpectatiſſimus,
æterna ſibi nominis immortalitate parta
Mortalis eſſe deſiit
anno 1691. menſe Decembris.

Supra *portam parochialis Sti Angeli primariam:*

Chriſto Salvatori
Peſtilentiæ gravem arcum ultorem
arcus ſalutis & pacis
divini ſcilicet fœderis ſuperavit
die primum ſalutari XXIX. Sept. MDCXXXI.
B. Michaelis Pacis Archangelo ſacram
cum B. Maria Lauretana opifera
arca fœderis
civitati tutelari.

Ante *altare humi in lapide ſepulchrali:*

LAURENTIUS PASINI P. Presbyter ætatis ſuæ
anno LXXII.

Ne in mundi pelago naufragium patiar, hanc mihi arcam conſtruo. Expectabo pacis columbam, per quam ſalutis portum attingam.

Anno MDCLXXXIII.

In *parochiali St. Vitalis ſub* buſto nivei marmoris, ſine nomine tamen & anno:

Supra
effigies
ſubtus
Cineres
circum
opera.

Ibidem ;

D. O. M.
Amore
Sancti - - - Vitalis
More
Pientiss. - - - Majorum
Ore
P. Theodori - - - Thesseri
Re
M DC LXXVI.

In *æde sacra, dicta li Frari*, P P. Franciscanorum Conventualium, in sacello familiæ BERNARDI, prope sacristiam sub effigie in nigro marmore:

Veritas jaceret hic publica,
si in uno viveret Senatore,
sæpe cum in Senatu perorasset,
sæpissime in supremis Comitiis
auditus est nunquam pro familia
semper pro Republica
ea modestia ac libertate, qua loqui solet
Patriæ Pater.
Qvis fuerit? habes etiam sine nomine;
Mortuus enim adhuc spirat & loquitur.

Ibidem *sepulchrum splendidi marmoris* cum statua:

JACOBUS PISAURUS, Paphi Episcopus, qui Turcas bello, se ipsum pace vincebat, ex nobili inter Venetos, ad nobiliorem inter Angelos familiam delatus, nobilissimam in illa die coronam justo Judice reddente hic situs expectat. Vixit annos Platonicos. Obiit 1547. 9. Kal. Aprilis.

In

In *facello majori* magnificum ex marmore ſepulchrum:

Accipite Cives, FRANCISCI FOSCARI veſtri Ducis imaginem, ingenio, memoria, eloquentia, ad hæc, juſtitia, fortitudine animi, conſilio, ſi nihil amplius, certe ſummorum Principum gloriam æmulari contendi. Pietati erga patriam meæ ſatisfeci nunquam. Maxima bella pro veſtra ſalute & dignitate, terra marique per annos plus quam triginta geſſi, ſumma felicitate confeci. Labentem ſuffulſi Italiæ libertatem; Turbatores quietis armis compeſcui. Brixiam, Bergamum, Ravennam, Cremam imperio adjunxi veſtro. Omnibus ornamentis patriam auxi, Pace vobis parta, Italia in tranquillum fœdere redacta. Poſt tot labores exhauſtos ætatis an. LXXXIV. Ducatus quarto ſupra trigeſimum, ſalutisque MCCCCLVII. Kal. Nov. ad æternam requiem commigravi. Vos juſtitiam & concordiam, quo ſempiternum hoc ſit imperium, conſervate.

E *regione vides cubantem ſtatuam marmoream:*

NICOLAUS THRONUS, optimus Civis, optimus Senator, optimus Ariſtocratiæ Princeps fuit. Quo feliciſſ. Duce florentiſſ. Venetorum Resp. Cyprum Imperio adſcivit, cum Rege Parthorum contra Turcam ſocia arma conjunxit, fraudatam pecuniam viva illius effigie reſignavit, cujus innocentiſſimis manibus hanc meritam divini operis molem, Filippus filius perenni æternitate poſuit.

In *columna ſacelli* familiæ Bernardi:

NICOLAUS BERNARDUS D. M. Procurator, qui cum pulcherrime in Senatu ſemper ſtetiſſet, profuit patriæ conſilio & auctoritate, Amicis maximis beneficiis, ſibi innocentia, poſteris exemplo; & cum immortalem hanc gloriam in familiam intuliſſet, diſceſſit a nobis optatiſſ. Vixit annos 85. Obiit 1549. Hieronymus Bernardus F. P.

Supra *portam majorem Sacriſtiæ*:

BENEDICTUS PISAURUS Claſſis Imp. Turcarum claſſe altera ex Ionio in Helleſpontum fugata, altera in Ambracio ſinu vi capta, Leucade & Cephalenia expugnatis, aliisque recuperatis Inſulis, Nauplia obſidione liberata, Richio ſæviſſ. Pirata interfecto, D. Marc. Proc. creatus, pace compoſita, Corcyræ obiit.

Notabile hic eſt Mauſoleum Ducis Peſari, ſtatuis excellentiſſimisque marmoribus compoſitum, ubi vides ipſius ſtatuam ſub Baldachino ſedentem, adque dextram ſequentem inſcriptionem:

JOANNEM PISAURUM Venetum Ducem,
aureum inter optimos Principem vides,
qui per mortes ad vitam prodiens,
in lethali puerperio matrem ſervavit naſcendo.
Idem Patriæ auguratus, cui naſcatur.
Poſt inde Patriæ totus vivens, nullus ſibi.
Apud Allobroges cum Carolo Emanuele
arcanam illam molitus machinam,
in Tellinæ Vallis invaſores

im-

impactas Venetæ libertati compedes fregit.
In Galliam Ludovico Justo
gloriosæ orbi Catholico, necessariæ Venetis,
opportunæ Gallicanæ quieti allaboravit.
In Anglia Jacobi Regis mira calliditate celatum,
mira sagacitate rimatus,
priscam benevolentiam feliciter firmavit.
Romæ intonante novo titulorum decreto
Joanni Pisauro debuit Respublica
quod maximis æquata Regibus
avita jura servavit.
Hinc labris innata svada
Legatus ligatos eloquio Principes, quo lubebat, adducturus
semel ad Ladislaum Poloniæ Regem,
bis ad Ferdinandum Augustum Conciliator,
mox ad Monasterii conventum Caduceator designatus
Mercurius videri potuit, ni Martem ostendisset,
Eridani Ripæ Romanis ereptæ at Venetis assertæ,
vel teste Calumnia,
quæ veri facem & Viri famam ut extingueret,
clariorem fecit ventilando.

Ad latus sinistrum:

Hoc vero vel nolens fatere Livor,
quod Regni pulcherrimi jactum
voce argenti proprii exemplo, publico ferro
cunctanter ac constanter aversatus avertit,
& Cretensem Venetis Coronam,
Venetam Italis gloriam conservavit,
ac fere absorptam Ottomannis extorsit.

Hinc

Hinc tot labores maximo cumulans labore,
Principatu
proh! quantum Patriæ Principem dedit,
nempe qualem orbis optaret,
qui caput Reip. de vultu noſceretur,
cui pro ſupercilio comitas, pro verbis oracula,
pro heroica teſſera conſtantia atque religio,
in deliciis magnificentia ſupra regalem
in conſiliis ſapientia, qua ævi ſui Salomon audiit.
In Votis implacilis in Chriſti hoſtes hoſtilitas;
in nutu ſemper victrix autoritas;
quæ nuper quam major privato fuerit in privato,
feliciter oſtendit ingeniorum eruditioni, animor.
pietati,
Coelitum plauſui reſtituta Societas Ieſu,
Sic heu nimis breve Principatus ſpatium,
quod menſe poſt annum primum ſexto abſolvit,
Geſtorum granditate protendit,
atque ut etiam poſt Fata Reipublic. prodeſſet
Florentiſſ. ſobolem Patriæ oppignoravit
ex Leonardo Fratris filio,
qui opum hæres, ſectator operum, Reip. Procurator
Patruum amantiſſ.
qua debuit pietate vivum coluit,
qua potuit redivivum
Patriæ reddidit.

Ibidem:

LUDOVICO FOSCARENO, D. Marci Procuratori, Viro, & ſummæ eloquentiæ gloria, & omni civilis Pontificiique Juris ſcientia atque Philoſophiæ ſtudio præſtanti, Patriam conſilio & induſtria

duſtria ſemper tutato, 14. legationes diuturno morbo contracto, ante diem e vita egreſſo, filii pientiſſimi Patri bene merito poſuerunt.

In cœnobio ipſo:

MODESTÆ a PUTEO, fœminæ doctiſſimæ, quæ varios virtutis partus, moderatæ fontis nomine rythmis Etruſcis, (quibus memoranda cecinit) & ſermone continuo feliciter enixa, naturæ partum dum ederet, puellæ vitam, ſibi verò mortem proh dolor! aſcivit. Philippus de Georgiis Petri F. in Off. ſuper aquis pro Ser. Dom. publici jura defendens, amantiſſimæ Conjugi P. Obiit ann. Domini 1592. Kal. Novembris.

Prope *portam cœnobii* effigies marmorea:

MARCO ZENO, Torcellano Epiſcopo, qui doctus, pius, prudens, humaniſſimus integritate & virtute ſupra hominem. Ex Senatoria purpura ad ſacram Epiſcopalem tiaram evectus, cœlumque promeritus, pie ſanctèque ex hoc humano carcere evolavit. Dominicus frater Marci Antonii Patris Senatoris ampliſſimi mandato P. C. Vixit annos 55. m. 5. obiit 1646. 8. Idus Februarii.

In *æde SS. Johannis & Pauli*, Dominicanorum Regularium, intra portam majorem Sepulchrum, ſtatua pedeſtri multisque figuris marmoreis ornatum:

PETRO MOCENIGO Leonardi F. omnibus non minus optimi quam eloquentiſſimi Senatoris munerib. domi foriſque functo, maris Imp. Qui Aſia a faucibus Helleſponti usque in Siriam ferro, igneque vaſtata, Caramannis Regibus, Veneto-

netorum sociis, Ottomanno oppressis, Regno restituto, Piratis undique sublatis, Cypro a conjuratis non minori celeritate quam prudentia recepta, Scodra ductu & auspiciis suis obsidione liberata, cum Rempub. feliciter gessisset, absens D. Marci Procurator, inde Dux grato Patrum consensu creatus est. Johannes tertius ab hoc Dux & Nicolaus Mocenici fratres pientissimi B. M. D. Vixit annos 70. mensem 1. dies 20. Obiit non sine summo populi gemitu, Ducatus sui anno primo, mense secundo, die 15. anno Salutis 1476.

Ibidem adhuc *sepulchrum* marmoris exquisitissimi cum figuris:

Dux JOANNES MOCENIGUS Thomæ Patrui & Petri fratris Ducum secutus vestigia, bellum Ferrariense invitus gessit, & Rhodigii Peninsulam adjecit imperio. Pacem coluit, Rempublicam Venetam administravit, justitia, probitate & prudentia. Dux opt. & amantiss. Reip. habitus est. L. F. P. Obiit anno 1445. Vixit annos 76. Duc. annos 7. mens. 6.

Ad latus lævum sacelli majoris *sepulchrum cum statua sedente* nobilissimæ architecturæ:

D. O. M.

LEONARDO LAUREDANO Principi, totius fere Europæ virium Cameracensi fœdere in rem Venetam conspirantium, furore compresso, Patavio obsidione levato, fortunis Venetiæ & filiis pro communi salute objectis, terrestris imperii post acerbissimum bellum pristina amplitudine vindicata, dignitate & pace Reipub. restituta, eoque difficilli-

icillimo tempore conservata, & optime gesta, Pio, forti, prudenti Leonardus Abnepos P. C. Vixit annos 83. in Ducatu 29. Obiit 1519.

Aliud ibidem *cum statua equestri:*

NICOLAO URSINO Nolæ, Petilianique Principi longe clarissimo Senensium, Florentini pop. Sixti, Innocentii, Alexandri Pontif. Max. Ferdinandi, Alphonsique Iunioris Reg. Neapolit. Imp. felicissimo, Venetæ demum Reip. per 15. annos magnis clarissimisque rebus gestis, novissime a gravissima omnium obsidione Patavio conservato, virtutis & fidei singularis S. V. M. H. P. P. Obiit ætatis anno 68. 1509.

Tria adhuc *monumenta cum statuis equestribus:*

LEONARDUM PRATUM Militem fortissimum, & ex provocatione semper victorem, Præfectum Ferdinandi Junioris & Federici Regum Neapolitanorum, ob virtutem terrestribus navalibusque præliis felicissimum, magnis clarissimisque rebus pro Veneta Republ. gestis, ab hoste cæsum, Leonardo Lauredanus Princeps & ampliss. Ordo Senatorius, prudentiæ & fortitudinis ergo, statua hac eqestri donandum censuit.

POMPEJO JUSTINIANO, Patritio Genuensi, præcipuarum Arcium in Belgio expugnatori, intrepida brachii obtruncatione apud Osten. celeberr. Venetæque R. P. cum armis imperio Præf. Gen. ad Natis. invicto flammicrepo Marte confosso. 1616. armis & calamo Bellatorib. conspicuo miratrici famæ servato, post funus pub. statuam eq. & monumentum ex S. C.

HORA-

HORATIO BALLEONIO, Stemmate Avorum de Republ. bene meritorum insigni, virtute propria, factisque egregiis insigniori, qui primarius in exercitu Veneto, dum in Japidia fortiter inter primos dimicando commilitones hortatur, hostes per innumeros stratos insequitur, jamque ad victoriam adspirat, gloriose oppetit. Pro singularibus meritis Senatus Opt. ad perpetuam ejusdem gestorum memoriam, monumentum publico decreto statuit. Summo totius Reipubl. & exercitus mœrore interiit, 13. Kal. Septemb. 1617.

Adhuc aliud cum statua pedestri:

Imperator, Ductor, Eques, Milesque, DIONYSII NALDI conduntur hic Ossa. Hic Juniorem Ferdinandum Regno a Gallis pulsum restituit, Venetis dignitatem imperii sustinuit. Fide ac fortitudine incomparabili inter alios Duces peditum Præfectus. Patavium servavit. Moriens nimiis vigiliis hoc virtutis suæ monumentum, clarissimo Lauredano Principe, ex amplissimi Senatus autoritate meruit. Obiit ætatis anno 45. anno 1510.

In *Sacello Mortuorum* dicto:

ODOARDO WINDESOR, Baroni Anglo, ill. Parentib. orto. Qui dum Religionis quadam abundantia, vitæ probitate, & suavitate morum, omnibus charus, clarusque vitam degeret, immatura morte correpto, celeberrimis exequiis decorato, Georgius Lewhnor affinis poni curavit. Obiit anno Domini 1574. die mensis Ianuarii 24. ætatis suæ 42.

In

In alio *ſacello* huic vicino effigies marmori inſculpta:

MELCHIOR LANCEA Venetus 1673.
Pace quievi.
Pulvis homo pervixi.
Mater ſuum tradidit Matri.
Maria
Mater tuum duc me Patri
fideles. Et vos, ut vobis,
ferte has pro me preces.
Domine,
parce ei,
lux æterna luceat,
requieſcat in pace.

Humi *ante ſacellum*, ſanctiſſimo Dei nomini dicatum:

D. I. M.

LUDOVICUS DIEDO X. Vir opt. Bizantio capto, & in Britannia filio Reip. cauſa in vinculis relicto, Venetorum claſſem per medios hoſtes tuto in patriam evexit; tandem Iaderæ Prætor mortales docuit, pulchrum eſſe pro Republ. mori ſibi, & poſteris ſuis.

Aliud non procul a priori diſtans:

ALOYSIO MICHAELI, M. Ant. Senat. integer. omnium ſcientiarum genere ornato, atque Oratori facundiſſ. ex foro ad majores Reip. dignitates vocato, dum in Senatu difficillima conſultatione propoſita, incredibili cum omnium admiratione ſententiam diceret, improviſa morte e ſuge-

geſtu correpto. Johannes Cornelio Marci Antonii fil. Uxoris frater mœſtiſſ. ex teſtamento poſuit. Vixit annos 56. Obiit 11. Kal. Maj. 1589.

Proxime huic vides *urnam quandam* cum ornamentis marmoris egregii:

D.O.M.

MARCI ANTONII BRAGADENI, dum pro fide & patria bello Cyprio Salamine contra Turcas conſtanter fortiterque curam principem ſuſtineret, longa obſidione victi, a perfida hoſtis manu, ipſo vivo ac intrepide ſufferente detracta pellis. Anno ſalutis 1571. 15. Kal. ſeptemb. Antonii Patris opera & inpenſa Byzantio huc advecta, atque hic a Marco, Hermolao, Antonioque filiis pientiſſimis, ad ſummi Dei, Patriæ, paternique nominis gloriam ſempiternam poſita. Anno ſal. 1596. Vixit annos 46.

Ad *latus Majoris Porta* ſiniſtrum:

HIERONYMO CANALO Claſſ. Pr. hanc ſingularem & egregiam fortiſſ. Viri animi magnitudinem quis admirari ſine lacrymis unquam poterit? cum in medio curſu præclariſſ. rerum Zacynthii mortuus, bellica diſciplina Majorum gloriam illuſtraverit, Imperatores ætatis ſuæ reliquos autoritate & conſilio vicerit, poſteros memorabili illa pugna ad Acrium Cretæ Promontorium docuerit, quam pulchrum ſit Patritio Veneto pro ſalute Reipubl. in omni fortuna acriter decertare. Ant. paternæ virt. imitator. 1550. Vixit annos 52. obiit 1535.

Ad

Ad *latus portæ Sacriſtiæ* literis aureis in lapide Lydio:

D.O.M.
Hoſpes ſic age, ut ſequaris.
Condor hoc tumulo
LUDOVICUS COMANUS Patritius Antverp.
parvæ apud Santones, Gallos Flandriæ Toparcha,
utraque Pallade clarus,
e Martio Batavorum Lycæo
ad Veneta caſtra evocatus
XX ann. curſu fortem fidelemque navavi operam,
dumque militum Tribuni, magnique acierum di-
rectoris muneribus decoratus,
ad ſublimiores honores feliciter contendo,
vitam, quam Venetæ Reip. majeſtati devoveram
libentiſſime profudi.
Hippolytus frater dilectiſſ.
mihi bene merenti mœrens
monumentum hocce non ſine lacrymis poſ.
1645.

In *altero latere:*

D.O.M.
Illuſtri Domino HENRICO STUERTO D. Au-
bigni ſecundo genito
Excellentiſſimi Principis Eſmei Ducis Lævinii
Regia propinquitate & generoſiſſima indole præ-
claro
Hieronymus Weſton,
Britanniarum Regis ad Sereniſſ. Remp. Venetam
Legatus ſvaviſſimo Affini M. M. P. 1637.
vixit annos 17.

In *templi fere medio* ad dextram videbis Mausoleum magnificum, tribus nivei marmoris statuis insignitum, patris videlicet, filii & nuri, cum sequentibus inscriptionibus:

BERTUCIUS VALERIUS Dux,
prudentia & facundia
Magnus,
Hellespontica Victoria
Major,
Principe filio
Maximus.
Obiit anno MDCLVIII.

SYLVESTER VALERIUS,
Bertucii filius,
Principatum
æmulatione Patris meruit,
magnificentia ornavit,
Syrmensi pace munivit.
Obiit anno MDCC.

ELISABETH QVIRINA
Sylvestri Conjux,
Romana virtute,
Veneta pietate,
& ducali corona insignis.
obiit MDCCVIII.

In *cænobio Sti Jobi*:

DEÆ, rarissimæ mulieris, Illustrissimi Dom. Nicolai Throni inclyti Ducis Venetiarum Conjugis, humili hoc in loco corpus jussu suo conditum est. Animum vero ejus, propter vitæ virtutem & morum

rum sanctitatem, ad cœlestem Patriam advolasse credendum est. An. Sal. MCCCCLXXVIII.

In *æde S. Zachariæ*, Monialium Benedictinarum, Epitaphium Alexandri Victoriæ, sculptoris famosissimi;

ALEXANDER VICTORIA,
qui vivus duxit vivos e marmore vultus.

In *frontispicio parochialis Stæ Justinæ*, Monialium Augustinianarum, ad latus dextrum:

Memoriæ TRIBUNI MEMI, optimi Principis, qui factiosis urbe pulsis, inde Ottonis II. Cæsaris odio in Rempub. mirifice eluso, de eadem ubique promeritus, ut æternam eamque certiorem adipisceretur gloriam, abdicato Imperio, hanc Insulam Monachus incoluit, ac ejusdem instituit, viris pie legavit. Iidem grati animi ergo posuere LDCX. Decessit MCCCCXCII.

Ad *latus lævum*;

SEBASTIANI ZIANI invicti Ducis, cujus armis fracta prius Friderici Ænobarb. Cæsaris pertinacia, mox officiis delinita eundem inter se & Alexandrum III. Pontif. Max. pacis arbitrum voluit, qua nutans Christiana Respubl. tandem sublato dissidio quievit,

Supra *lapidem primum ædis sacræ*, *la Salute* dictæ, P. P. Somaschorum;

D. O. M.

Divæ Mariæ Salutis Matri templ. ædificandi, ad pestilentiam exstingvendam, Senatus ex voto, primus hic lapis. Anno Dom. MDCXXXI. XXV.

Mart. Urbano VIII. ſummo Pontifice, Nicolao Contareno Duce, Johanne Theupolo Patriarcha.

Supra *ſacellum majus*:

Deiparæ Virginis publicæ ſaultis ſacrarium ſenatus votum, ob Cives ex peſtilentia ſervatos. Anno 1630.

In *Parochiali Sti* Petri di Caſtello ſupra portam Sacriſtiæ:

BEATO LAURENTIO JUSTINIANO
Primo Venetorum Patriarchæ,
ſtirpis claritudine auguſto,
ſanctimoniæ gloria longe auguſtiori,
tutelari Numini beneficentiſſimo;
ad ſacros hujus cineres templum hoc illuſtrantes,
civitate in peſtilentia tanti Civis auxilium experta,
quotannis ejus die perpetua feſtivitate celebrando,
Senatus Religioſiſſimus
venerationis ergo
ex voto accedit.
Federicus S. R. E. Cardinalis Cornelius,
maximi cultus minimum argumentum.
Dic.

Ad latus *Sacriſtiæ lævum prope* Altare familiæ Moroſini ſub buſto marmoreo:

Majeſtas, quam ſuſpicis, Viator,
Frontis FRAN. MAUROS. D. M. Proc. refert
Hic ille, at non ille unus;
Lingva & calamo diſerte multiplex:
Mente & manu impigre omnigenus.
Moderandis Provinciis ter Magnus.

Impe-

Imperandis armis ter Major
Maturandis consiliis terque quaterque maximus.
Feltria, Tarvisium, Brixia testes.
Palma, Candia, iterum Candia,
Pervicacium cæde feliciter cruenta,
e Jovis monte importato in forum fonte,
Veneto sumptu, Romano ausu,
immortaliter, hilariter irrigua
virtus benigniore semper imbre recreata.
Fato irascere, sero te adventasse, & abi.
Obiit H. anno ætat. 81. Sal. hum. 1641.

In *altera parte:*

Ossa
HELENE CAPELLÆ,
Omnigenis virtutibus insignitæ
Matronæ,
Francisci Mauroceni, D. M. P.
Conjugis prædilectæ,
Genere, fortuna, venustate,
Græcam,
Fide, pudore, pietate,
Romanam Helenam
referentis,
in hoc postremo humanitatis domicilio
requiescunt.

In *lateribus tabula*, martyrium Johannis Episcopi repræsentantis, supra Altare

D. O. M.
Lapis hic alterum, non alium
ac oppositus exhibeat, exhibet
Idem LAURENTIUS PRIOLUS,
ad Venet. Patriarcatum evocatus,

a vita non proba plures avocavit,
Cleri sui mores certis legibus, vivis exemplis,
duabus perfectis Synodis
aut efformavit aut reformavit
A Clemente VIII. S. R. E. Card. evectus,
Vestium purpuram vitæ candore ornavit.
Altare hoc, quod ille erigendum reliquerat,
& Marcus Priolus ejus Nepos inchoaverat,
perfecit Viri sui jussu, post Viri obitum,
Maria Lauredana, anno 1640.

D. O. M.
Situs hic est, in quo olim situm,
quicquid in magnis spectatur, aut magnum
dici nomen potest, res tantum indicari.
LAURENTIUS PRIOLUS Jo. F. Patritius Venetus,
Reipub. natus bono, bene res Reip.
apud summum Pontificem,
exterosque Reges,
ipse nunquam exterus,
tractavit.
Rexit populos, a populis erigendus,
in Patria ad summos honores evectus,
Dignitatum onus ea sustinuit dignitate,
jure ut vertatur in dubium,
honorib. an ipse auctus, vel ipso aucti honores.

Supra portam principalem:
FEDER. T. S. Marci S. R. E. Presb. Card.
CORNELIUS,
Pat. Venetiarum, Dalmatiæque P.
Castellanam Principis Apostolorum Basilicam
a D. Magno Episcop. Patr.

exstructam, in amplissimi templi formam religiosa
Jo. Theupoli munificentia
redactam instruxit.
Franc. de Grassis Clodi, & Vinc. Milano Capral.
Episc. suffragantib.
solenni ritu consecravit,
sacro Reliquiarum thesauro ditavit,
sacrarium & D. Iusti Mart. sacellum collapsa restituit. Anno salutis 1642. dedit 2. Sept.

Qua visitantibus templum ipsum quotannis
centum dierum Indulgentiam concessit
Urbano VIII. Pont. Max. Franc. Ericio
Duce Veneto.

In *cœnobio ipso Epitaphium* Legati cujusdam Hispanici, qui Monachus factus hic sepultus est.

Lector, parumper siste, rem miram leges. Hic EUSEBII *Hispani Monachi* corpus situm est. Vir undiquaque qui fuit doctissimus; nostræ quoque vitæ exemplar admirabile. Morbo laborans, sexdecim totos dies edens bibens nihil prorsus, & usque suos manens, ad Deum abiit. Hoc te scire volebam. Abi & vale.

In *æde Sacra S. Francisci della Vigna* Fratrum Zoccolantium ad dextram Sacelli Dandulorum:

ANTONII DANDULI Hieron. F. Viri vere Senatoris, summis fere omnibus in Rep. honoribus, summa cum laude probitatis & prudentiæ functi; post ætatis 80 annum, populi totius acri dolore vita defuncti. Ossa hoc sacello, ut noviss. diem operiantur, Elisabeth F. pientiss. condidit ex testamento, obiit anno 1553. 12. Kal. Jan.

Ad *latus sinistrum*:

BERNARDUS DANDULUS Ant. F. Vir magni animi, Ossa sua hoc loco cum Patris ossibus voluit reponi, quod Elisabeth soror amantiss. effecit, ut cum iis, ex quibus semel est ortus longiss. exacta ætate, iterum simul reviviscat. Vixit annos 55. dies 18. Obiit anno 1555. 3. Non. Septemb.

Supra coronidem portæ magnæ horologii:

M. ANTONIUS TRIVISANUS Princeps integerrimæ vitæ, & paterna virtute ac gloria semper clarus, omnibus honoribus egregie perfunctus, a Patribus invito ipsius genio Princeps cooptatus, cum annum; Remp. sancte gubernasset, Religionis amantissimus, dum sacro in Imaginum aula interesset, nulla ægritudine flexis ante aras genibus, in gremio Patrum moriens migravit in Cœlum beatiss. 1555. 1. Octobris.

In *sepulchro Marci Antonii Morosini:*

1.) MARC. ANT. MAUROC. Equit. & Procurat. Viro eloquentia, rerum doctrina, civilibus negotiis & bellica virtute claro. Qui cum omnia ornamenta, quæ in Republ. sunt amplissima, sua virtute adeptus esset, majoribus tamen digniss. semper est judicatus; legationes innumeras, maximasque sapienter fortiterque gessit, Repressa præsertim apud Maximilianum Imperat. quorundam Legatorum temeritate. Legatus in castris, Imperatoria omnia munia feliciter obiit. Insubrico bello Magister Equ. designatus mira celeritate transmisso Abdua se Gallorum Regi conjunxit & Ludovicum Sforziam, victoriæ spe jam exultantem, armis regnoque spoliavit.

2) Cre-

2.) Cremona capta, Mediolani Principis insignibus potitus, ea suis ædibus affixit. Quæ ut suæ virtutis & præclaræ victoriæ posteris monumenta essent, exacta jam ætate, dum videt totam Europam armari contra Rempublicam, & luctuosi belli causam præcidere contendit, divino consilio e vita discedit, ne Urbem, quam auctam Imperio, & florentem opibus reliquerat, paulo post multis cladibus afflictam videret. Obiit anno salutis 1509. sexto Id. Aprilis, omnium fere suorum bonorum Silvestro Mauroceno Joan. Fr. P. S. M. & ab eo uni semper ex eadem familia usufructu legatos. Vixit annos 75.

In *sacello Contarini sub* Ducis Francisci effigie marmorea:

FRANCISCUS CONTARENO Venetiar. Princeps, priscis moribus, prisca virtute nova facundia, bonus Civis, gravis Senator, pius Pater. Merito pius, quam dignitate Princeps. Non opinione aut fortuna, sed suapte virtute Principatum nactus, rebus domi forisque præclarissime gestis, decem Legationibus apud majores Orbis Dynastas dignissime perfunctus, vel nolens & invitus tantæ Reipublicæ præsit. Vixit in Principatu an 1. mens. 3. Obiit an. Sal. 1624. die 6. Decembr.

In *Xenodochio Mendicantium supra* portam majorem pulcherrimo marmori insculptum:

D. O. M.
LAURENTIO DOLPHINO Senat. Opt.
qui omnes honorum gradus domi emensus,
Corcyræ Provisor,

tum

tum regundis ad Padum finibus adhibitus
a Patavina Prætura
trium Insularum inde Dalmatiæ Legatus,
demum totius continentis summa cum potestate
moderator;
Pari ubique integritatis, justitiæ, magnanimitatis
fama;
Fortunæ magnitudinem atque gravitatem,
morum suavitate mira lenivit, tanta cum laude,
ut cum illi nihil ad gloriam deesset,
altiorem dignitatem consequendam tempus
defuisset,
Cives ac socii doluerint.
Obiit anno Domini 1658.
Daniel Dolphinus ex fratre Nepos
Patruo bene merenti ex testamento P.
anno 1668.

Ad *latus hujus portæ* in pariete:

Jo. DOMINICO BIAVÆ de CARATTIS, Bergamens.
Ara templo,
donis xenodochio additis
magnanima ubique pietate,
spectato
mendicantium Virginum
Gubernatori, Mæcenati, Patri
optime merito,
perenne in lapide,
perennius in animis,
simulacrum,
Præsides unanimes P P. anno 1657.
die 10. Decembris

Ex

Ex *adverso hujus* Portæ:

Ne molem, quam cernis,
Mausoleum puta spectator.
Triumphus hic est, qui Cretæ positus
ALOYSIO MOCENICO,
D. Marci Procuratori,
huc per civium lacrymas advectus est.
D. Marcus sospitator,
qui Mocenicæ genti
suum jussit militare Leonem,
in Aloysio vel extincto rugit,
cives illius exemplo
ad gloriam provocaturus
Hinc maris Mars, terræ terror,
Venetæ classis bis Imperator,
Patriæ semper salus,
religione, consilio, pietate,
bellica virtute clarissimus.
Habes tot documenta.
A Turcis Jesu, Bethleemi, Martinenghi, Vitturi,
D. Demetrii propugnacula
pene expugnata propugnavit.
D. Theodori Turluli munimenta
ex unguibus hostium evulsit.
Thracum classes victoriarum aura tumidas,
adversum Martem pati nescias,
cladibus assuescere docuit.
parvaque manu profligatas
toto Ægeo profugas egit.
Assanum Bassam Babiloniæ domitorem
interfecit.
Natalinum Furlanum,

Ottomannarum Navium Moderatorem,
a Christo, Venetisque transfugam,
catenis oneravit.
Turcarum cuniculis lacerata Creta,
per murorum hiatus,
se in urbem hoste effundente,
perterritos Duces, plorantes cives,
milites abeuntes revocavit.
Fugæ consiliarium virga castigavit.
Solus senex ferreum se murum objiciens,
hostes percecidit, fugavit.
Veneto Imperio in una urbe
totum regnum restituit.
Nescio Romanum Metellum,
an Venetum Aloysium,
Cretensis vocabulo aptius honestes.
Ille regnum domuit; Hic asseruit.
Hinc a Cretensi Senatu Populoque
aureo, æreoque numismate donatus est.
Triumphorum plenus,
palmam accepturus obiit
Anno 1654. mense Octobris die 17.

In *pariete, marmore & Lydio lapide superinducto,* sub choro Puellarum cantantium:

D. O. M.

Sublimem Antistitis dignitatem non impari mente suscepit atque ornavit BENEDICTUS CAPELLUS. Non unico gregi bonus Pastor advigilavit, ab Jardensi insula ad Concordiensem translatus, vel in canitie, geminum robur animi ac prudentiæ fortis ostendit. Meritis demum at-

que

que ætate gravis obiit 1657. die 27. Augusti anno ætatis suæ 73.

Ad *bujus dextram* :

D. O. M.

Nullam detrectavit Rempublicam, ut bene de Republica mereretur VINCENTIUS CAPELLUS, pietate ac clypeo obarmatus, fidei militavit ac patriæ. Utriusque hostes vincendo coronam sibi contexuit immortalem; majora tamen fortitudinis monumenta erexisset, nisi fato abreptus immaturo occubuisset. Anno ætatis suæ 36. Salutis nostræ 1642.

Ad lævam :

D. O. M.

Parem imperio Veneto animum semper prætulit NICOLAUS CAPELLUS, toga æque ac sago illustris, consilio tamen diutius quam gladio patriæ pugnavit incolumitati; Veronæ ac Patavio summa præfuit cum potestate, ac laude, præcipuis Reipublicæ muneribus functus, fato quoque perfunctus est. Anno ætatis suæ 58. Salutis nostræ 1660. die 28. Octob.

Hisce ex adverso *sub tribus imaginibus*, marmore exquisitissimo, condecoratis:

D. O. M.

ALEXANDRO MORA ad integritatem & prudentiam nato, sanguine, moribus, opibusque claro, qui cum florentis fortunæ beneficia numerasset, invido fato correptus, vivus pietatis prius

us exemplis editis, meliores sortes suscepit in cœlis. Anno Domini 1663. 11. Nov. ætatis suæ 55.

Sub *secunda versus* portam majorem:

D. O. M.

FRANCISCO MORA, virtute, fide præstanti non impari fratribus, de se suaque prudentia immortalibus relictis Lusitaniæ testibus, cum patriæ reditum quæreret, vix inventum communi mœrore, Alexandro non diu lacrymato deploratur. Obiit 20. Nov. 1663. annorum 53.

Sub *ista in medio*:

D. O. M.

BARTHOLOMÆUS MORA, non tam æris, quam frarernarum probitatum hæres, genio clarus, præclarus ingenio, Patriæ promeritus, serenissimo Patritiorum splendore decoratus, in parentes, concives, divique Lazari xenodochium, pietatis & amoris argumentum, testamento præfixis. Decessit anno redemtæ humanitatis 1676. 21 Nov. ann. 53.

Prope *altare familiæ Brigonci*:

BARTHOLOMÆO BRIGONCIO, Viro, probitate, prudentia, opibus late claro, ne cui mors rapuerat vitam, oblivio diriperet gloriam.

In Ecclesia Parochiali *Sancti Geminani*:

MELCHIOR MICHAEL Eques D. Marci Procurator, sciens se brevi Christo Servatori ani-

animam redditurum, tumulum ossibus præparavit. Anno salutis MDLXX. ejus ætat. LXXXI.

In *Parochiali Sti Mosis*, supra portam ex adverso suggestus sub busto parieti affixo, variisque elegantissimi marmoris figuris circumdato:

Divinorum in se beneficior.
custos,
temporis ac mortis
vindex,
æternitatis memor
non sibi sed Deo,
vivens CHRISTOPHORUS IVANOVICH
MDCLXXXVIII.

Supra *portam ædis principalem* extrinsecus:

Omne fastigium virtute implet VINCENTIUS FINI, Venetæ Nobilitatis honore, ac Procuratoria D. Marci dignitate amplissimus. Tanto Fratri, consilio, eloquentia, beneficentia de cunctis optime merito, Hieronymi Fratris pietas perenne H. M. P. Anno MDCLXXXIII. Obiit Anno MDCLX. ætatis LV.

In æde *Parochiali Sancti Salvatoris* sub sepulchro Ducis Venerii.

FRANCISCUS VENERIUS Princeps, priscæ Majorum virtutis ad disciplinæ vere imitator, nullo nec adumbratæ laudis stimulo, nec privatæ utilitatis errore unquam promotus; in regendis populis summæ continentiæ, in dicenda sententia Senatoriæ gravitatis, pacis & concordiæ amantiss. in omni sermone sapientissimus. Semper

in Principatu præter ornamentum Principis, quod est justum Imperium, pulcherrimum liberis Civibus exemplum. Vixit annos LXVI. d. IV. in Principatu anno 1. menses XI. d. XXII. Obiit IV. Nonar. Junii MDLVI.

Ex adverso depositi Delphini, vides epitaphium singularissimæ structuræ ex Lapide lydio erectum, cum columnis & bustis *duorum Principum* PRIULI, & sub isto:

D. O. M.
LAURENTIUS PRIOLO
Dux.
Sapientia, eloquentia
insignis.
Legationibus summis, quibusque muneribus
clarus.

Pauli 4. Pont.	Caroli 5. Cæs.
Concitatos animos	delinivit.
Pacem	fundavit.
Italiam	tranquillavit
Pestilentiam	extinxit
Rempub.	bene gessit
Pius	fortis, prudens

Proc. D. M. de Ultra ex Testam.
Ludov. Priolo Proc. Nep. P.
vixit annos LXXIX. m. II.
d. III. in Princ. VIII.

D. O. M.
HIERONYMUS PRIOLO
Dux.
Iustitiæ, Prudentiæ, Legum

Vin-

Vindex Tutor,
Urbem
Idem Specimen Templis
exornavit, auctavit.
Pacem Italiæ confirmavit
Remp. ſartam tectam
Ab omni periculo ſervavit
Fraternæ virtutis Æmulus
Proc. D. M. de Ultra ex Teſtamento
Lud. Priolo Proc. Fil. P.
Vix. An. LXXVII. m. XI.
d. XXI in Princ. III.

Ad *exteriorem Ædis Sti Juliani faciem* ſub ſtatua ænea:

THOMAS *Philoſophus Ravennas*, Phyſicus, ære honeſtis laboribus parto, ædes primum Paduæ virtuti, poſthac Senatus permiſſu pietati erigi fecit. Illas animi, has etiam corporis monumentum. Anno Mundi VI. 1753. Non. Octobr. Ieſu Chriſti 1554. Urbis 1134.

In æde *Monialium*, dicta *Santa Maria delle Vergine*, ad lævam, ubi intras:

FRANCISCO LILIO Benedicti Fil. Sacr. Virg. Proc. Vita cujus tam variis virtutum laudibus clara fuit, ut veteris probitatis exempla ſuperarit. Nepotes Patruo B. M. P. Vixit annis 45. m. 6. d. 18.

In æde St. *Joſephi*, Monialium Auguſtinianarum in ſacello familiæ Grimani, ſub effigie Hieronymi Grimani marmorea:

HIERONYMUS GRIMANUS ad immorta-

ad immortalitatem virtute quærendam natus, perpetuam sui nominis celebritatem maximis rebus pro Republ. gestis, summisque legationibus, eximia cum laude, patriæque dignitate obitis, in animis hominum adeptus. Cujus singularem eloquentiam, acerrimumque judicium Senatus ingenti & ornamento & utilitate difficillimis temporibus expertus est. A Pio IV. Pontif. max. equestri dignitate ornatus. A Republ. Procurator magna omnium lætitia creatus, omnibus virtutibus Principe dignis ornatissimus, ut Principis tantum nomen in eo Civitas desideraret. Anno natus LXXIII. cum ab humanis rebus felicitatem viventi semper optatissimam, morienti jam proximam demigrasset, tristissimum bonis omnibus sui desiderium, posteris autem spectatissimum optimi Senatoris exemplum relinquens. H. S. E. Ob. MDLXX. Pr. Kal. Maji. Marinus & Hermolaus filii mœstiss. pos.

In *eodem sacello sub Mausoleo* marmoreo Marini Grimani, columnis, statuisque egregiis ornato:

D. O. M.

MARINO GRIMANO Principi Opt. feliciss. Præturis, Præfecturis, Legationibus summis quibusque in Rempubl. muneribus egregie perfuncto. Qui annonam adlævavit. Ærarium auctavit. Urbem exornavit, Ab ipsaque noxia avertit flumina. Palmam oppidum extruxit ad Christiani orbis securitatem Motam Galliam Cisalpinam compressit. Salutare Reipubl. fœdus opportune icit. Pacem Italiæ confirmavit, protulit. Pius, Pru-

Prudens. Obiit anno MDCV. Vixit annos LXXIII. mens. VI. d. XXV. ex his X imperabundus.

In templo St. Antonii Canonicorum Regularium S. Salvatoris in ſacello familiæ Pasqualiga : Ad unum latus:

PETRUS PASQUALICUS, Doct. celeberrimus, eques præclariſſimus, perfectus Orator, optimus Senator, Legationibus ad Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Ungariæ Reges, Imperatoremque Max. & Burgundos feliciter geſtis, Legatus ad Franciſcum Galliæ Regem, Mediolani diem ſuum obiit 1515.

Ad alterum:

Franciſcus Gallorum Rex Petri Pasqualici virtutes tanti fecit, ut ejus funus magnifica, & publica pompa Mediolani celebrandum, & Oratore ad hoc ipſum deſtinato, cadavere honorifice comitante, in Patriam reportandum curavit, quod in hoc monimento requieſcit. Vixit an. 43.

In *Parochiali Sti Martini*:

D. MAG D. dilectæ Matri jam vita defunctæ, ſibique Presbit. BENEDICTUS MOLINO, inſigni pietate filius, ut ejus in gremio jacens aliquando in patriam remigraret, e cujus utero egrediens, huc olim migraverat vivens. H. M. P.

Ibidem:

Dei Gloriæ,

Patriæ amori, poſteritatis documento, FRANCISCUS ERICIUS, Venetiarum Dux, cœle-

ſti ope, Reipubl. benignitate, præcipuis dignitatibus terra marique perfunctus, decimum ſummo armorum inſignitus Imperio, abſens ad Principatus faſtigium evectus, vivens hoc perenne grati animi monumentum fieri juſſit.

Apud *Regulares Sti Dominici* in periſtylio cœnobii:

STEPHANUS DORIA, florens genere, opibus, ætate, ac ſpe, primo vix limine juvent. (proh dolor) ſublatus cæteris omnib. reliquit continentiæ, atque innocentiæ exemplum ſingulare, parentibus vero mœſtiſſimis & amicis deſiderium, quale nemo antea, triſte ac lacrimabile. Vixit annos 22. menſes 8. obiit die 19. Dec. 1542.

Ibidem adhuc:

PAULO CONSTABILI Patritio Ferrarienſi,
Præd. famil. Generali Magiſtro,
qui Philoſoph. ac Theolog. interpr. hæretic.
pravit. Inquiſit. Sacri Palatii Magiſtr.
ſummis virtutib. ad ſummam dignit.
in ſuo ord. ſibi aditum patefecit.
Unde Provinc. illuſtran. & commodo communi
ad quod natus erat, omni animi ac corporis
contentione conſulens ann. nat. ſuæ LXIII. deceſſit
XV. Kal. Octobr. 1582.
F. Paulus Iſareſius Mirand. Mag. Prov. Ter. Sanct.
ac Soc. nom. Tot. Ord.

In æde Sacra, S. Sepulchrum nuncupata:

Ad lævam:

Hoc mirum ſpectatur opus compagibus auctum,
Rupibus Artifici ſaxa revulſa manu.

Gens

Gens Mausoleum sileat vesana Sepulchrum,
Quod fuit, & Domini Martia Roma sui.
Illa duo congesta viris monumenta fuere
Hoc Christo tanta mole paratur opus
Quanto homines superum præstat Rex summus, & Auctor,
Tanto hoc est illis clarius & melius.
D. Palladius Soranus Pio Lectori.

In *marmore ibidem cœlata* memoria Perandæ Philosophi:

JO. BAPTISTÆ PERANDÆ Philosopho
ac Medico Nobilissimo,
qui præclarissimarum artium præsidio
munitus, vel florentis ingenii acumine,
vel diuturno medicinæ usu, desperatos,
quosque dum sanari posse ostendisset,
immiti Fato Civitatis ereptus est;
Viro de se benem. F.
Decessit 14. Kal. Martii 1586. anno ætatis 53.

Sub Organis:

D. O. M.
LAURENTIO BRAGADENO Fantini F.
Senatori Prudentiss.
Religionis ac humanitatis amantiss.
forensibus Præfecturis octies magnificent. gestis
e Patavina demum Præfectura
ad Consiliarii gradum evecto,
in ipsoque sublimi apice,
dum ad majora sua ipsum virtus attolleret,
vita functo.
vixit annos LXXV,

Laurentius Nepos in tanti viri memoriam P.
cIↄ Iↄ CXV.

In *frontispicio Sanctæ Mariæ Formosæ* ad dextram Ecclesiæ :

DOMINICUS CAPELLUS Vincentii Filius, generis amplitudine, ingenii præstantia, animique candore clarus, majoribus suis æque par, omnigenæ virtutis, non aditus, sed adita introspiciens, moribus antiquis, nova industria, integram excoluit innocentiam. Summo Patriæ amore flagrans, vig. studio stadio urbis Magistratuum excurso, cum citra censuram omnia gereret, Censoriam jure induit potestatem, salutaris Consiliorum sæpe repetita purpura Consiliarii dignitate emicuit. Præclarum seculo Senatoris optimi exemplum.

Ibidem :

VINCENTIO CAPELLO Dominici filio D. Marci Proc. Reip. genio genitus, Senatuique nato, domi, foris, utrobique uni, pietate, prudentia, probitate, munificentia, qui omnia fere patriæ munia integre sapienterque peregit. Foro Julio præfuit ex æquo & profuit. Patavino geminato Regimine unice exhibuit bis Patrem Procuratoriis fascibus insigni emicuit dignitate & virtute. Immortale promerenti monumentum Patri simul ac sibi exstructum, posuere Aloysius Molinus ejus Privignus Eques, Dominicus Zenus Nepos, Nicolaus Venerius Pronepos, suæ voluntati ex testamento obsequentiss.

In

In *Sacello della Pace*, Dominicanis SS. Johannis & Pauli proximo vides in pariete ad lævam Epitaphium marmoreum Episcopi cujusdam cum sequenti inscriptione:

Heus Bergomas, tuum LAURENTIUM GABRIELEM reposcis, excubans hic sum, sat clysmum annis tibi triginta reddidi Pontificatum. Nunc Virgini famulari pacifice cupio. Te rogo ne vexes. M D XII.

In Parochiali S. Trinitatis:

PETRO JOANNIS SAGREDO FILIO D. Marci Procuratori ampliss. spectata religione in DEUM, insigni pietate in Patriam, inculpata justitia in omnes conspicuo, Magistratibus, Præturis probatissime perfuncto, cui ipsa demum mors spes vitæ fuit. Joannes & Laurentius Sagredo ex fratre die 18. Junii.

In Parochiali S. Cantiani, sub sepulchro Pictoris Tinelli:

TIBERIO TINELLIO Equiti, quem mortalium imagines animantem mors heu rapuit intempestiva, ut naturæ ab arte devictæ indulgeret. Joannes Baptista Casella Antistes fratri bene merenti mœrens pos. Vixit annos 52. m. 4. d. 22. obiit anno 1638.

Apud Jesuitas supra portam majorem intus sub quadam statua:

PRIAMO LEGIO, Andreæ filio D. Marci Procuratori, cujus cum incredibilem vitæ integritatem, tum eximiam in administranda Republ.

ſapientiam poſteritas omnis ita in perpetuum prædicabit, ut ea admirari facilius poſſit, quam imitari. Joannes Filius, Eques, Comes ac Pocurator feci C. Vixit annos 50. obiit 6. Idus Septemb. 1557.

Ibidem ſupra aliam portam itidem ſub ſtatua quadam:

PASQUALIS CICONIÆ Venetiarum Principis memoriæ ſempiternæ, qui poſt Rempub. domi, foris e dignitate adminiſtratam, poſt Cretenſem Inſulam, cui per decennium ſummo cum imperio præfuit, in navali ad Echinadas prælio incolumem reſervatam, qua cauſa Cydones illi ſtatuam in foro E. C. Patriæ ſuæ tandem Princeps mira omnium conſenſione creatus, eam pariter per decennium tanta aſſiduitate & diligentia gubernavit, ut de ejus commodis atque utilitatibus non prius finem fecerit, quam animam efflaverit, & ad ſuperos, cum diu æternitati ſuæ interfuiſſet, non ſine opinione Sanctitatis evolavit. Obiit die 11. Aprilis 1545. ætatis ſuæ an. 85. menſ. 10. dies 25. Principatus vero ſui 9. menſ. 7. dies 15. Paſchalis Ciconia ex fratre Nepos mœſtiſſimus P. C.

In *Parochiali Sanctorum Apoſtolorum:*

D. O. M. S.

Quem vides ſarcophagum, Viator, cineres ſervat Nobilis æque ac ſtrenui adoleſcentis JOHANNIS *von der* DEIKEN Saxonis, Diœceſis Bremenſis, qui dum Latio omni illuſtrato, Venetias, ut patrios lares repeteret, adveniſſet felix, inopine morbo oppreſſus, annum agens ſecun-

cundum supra vigesimum decessit. Cujus piis manibus frater Henricus pie parentans, hoc fieri monumentum curavit. Obiit anno Salutis 1592. Pridie Cal. Novemb.

In *Abbatia S. Mariæ Misericordiæ:*

HIERONYMO SAVINÆ, Civi Veneto, Sanctæ Mariæ Misericordiæ Priori, Viro bonarum artium insigni peritia claro, sed ob pietatem clariori, quam etiam moriens erga hostem, qui ei venenum in calicem, dum sacra perageret, propinaverat, magnis argumentis ostendit. Obiit die 9. Junii 1601. anno ætatis suæ 50. Prioratus vero 10. H. M. N. S.

In æde Sacra, *Madonna del horto dicta*, Monachorum Cistercienfium:

Corpus MARTII DE MARTIIS DE MEDICIS Episc. Marsinensis, exivit de ventre matris suæ anno 1511. die 21. mensis Novembr. Dereliquit autem almam anno 1574. mens. Novemb. die 11. Nunc vero cadaver ejus etiam in ventrem reversus hic jacet.

Ibidem:

THOMÆ CANTARENI, qui sui suorumque immemor noluit vivere, ut totus Patriæ viveret. Ingenium nactus ad præclara, genio natus ad clariora. Utcunque præclarissima semper aggressus. Quot subivit Provincias, tot disposuit regna. Ipse dignus imperio. Primus Venetorum in Hollandia Orator. Ad Monarcam Germanum

manum designatus. Ad Paulum Max. Pont. V. Munere orat. perfunctus, defunctus est. Ætatis anno 53. Domini 1617. Vincentius Cont. justa fecit. Anno Domini 1653.

Aliud adhuc :

ALOYSIUS CONT. Eq. clarus origine, clarior ingenio, pietate clariss. Post famam factis devinctam, Germaniam, Galliam, Svetiam, Hispaniam, Hollandiam compositam, Angliam, Galliam pacatas, Thraces Venetis reconciliatos, Orbem totum non tam cito passibus peragratum, quam virtutibus illustratum; cum jam sibi satis, Patriæ multum, Gloriæ plurimum vixisset, Munster. ad Gallos Plenipot. delegatus, ad Turcas Orat. designatus, in albo immortal. signandus. Obiit ætatis suæ anno 54. d. 11. M. 11. Pietatis ac virtutum hæres Vincentius Contarenus Patruo suo H. M. P. anno 1653.

In æde Sacra, *S. Maria de Servi dicta*, Monachorum Servitarum :

ANDREÆ VEUDRAMEM Duci, opum splendore claro, sed ex mira in patriam pietate, opum usu longe clarissimo. Qui Croca Turcarum obsidione liberata, eorundemque irruptione in Carniam rejecta, felix insigni prole, impletis omnibus & fortunæ & naturæ & virtutis numeris, Principatus brevitatem, sempiterna cœli gloria compensat. Vixit annos 85. mens. 8. Obiit pridie Nonas Maji anno 1578. Principatus sui anno secundo.

In

In Æde *Sacra S. Hiobi.* Franciscanorum Minorum, Zoccolanti nuncupatorum inque eorum claustro:

A. M. D. G.

Memoriæ Excelsi ac præpotentis Domini D. RENATI DE VOYER, e *Comitibus* DE PAULINI, *Comitis* d'ARGENSON, Christianissimi Ludovici XIV. Regis ad Sereniss. Rempub. Legati, Cujus exta Cippus hic habet, Cor Gallia possidet, Corpus in Mausoleo jacet, Fama terras implet, Anima Cœlis æternum vivet. Plura si requiris Viator, in Templo Marmor dicet.*

Apud *Moniales Dominicanas* ædis sacræ *Corpus Domini* dictæ:

D. O. M.

AUGUSTINUS GRADONICUS, pridem Feltrensis Episcopus, demum Patriarcha Aquileiensis, utrobique Antistes, sua semper dignitate major, quia multigena in Deum præsertim pietate maximus; qui sibi aliquando Fato cessuro, Marcum Gradonicum adsciscit successorem, ne unquam de hac Cathedra desinat bene mereri Domus Gradonica. Quæ ne historia fugeret posteritatem, isthæc ftitit monumenta memoriæ.

Apud *Monachos Theatinos Sti Nicolai Tolentini*, in sacello familiæ Cornaræ:

* Longior ibi est Inscriptio, quam quæ describi poterat. Continet autem p'enarium vitæ hujus viri curriculum, multis elogiis refertum.

Jo.

IOANNI CORNELIO, Venetiarum Duci inclyto, justitia ac pietate conspicuo, primæ vero Soloni sapientiæ, Mecenati supremi Adriatici cœtus Apollini, qui post Veronæ, Brixiæ, Patavique Præfecturas, optime gestas, post Proc. dignitatem, altiora Reip. decora, tandem meritorum dives, Solium Majestatis ascendit, quo per lustrum & menses aliquot feliciter illustrato, obiit tandem anno Domini 1624. ætatis suæ 75. Ut cornu ejus in terris eximium, cœlesti exaltaretur in gloria, Mausoleum hoc, quod Franciscus filius in amoris signum decreverat, Federicus Nepos gratissimus adimplevit. Anno salutis 1656.

Ibidem:

FRANCISCO CORNELIO, Joannis Ducis filio, centesimo Venetiarum Duci, integerrimo Principi, de Repub. optime merito, Patriæ Patri, Urbis decori, Urbique probitatis exemplo; qui post Brixiæ Præfecturam, aliisque honoribus decoratus, pleno electorum consensu licet renuens, regali diademate decoratus effulsit. Hic præcipiti nimium abreptus fato, post novem solummodo supra decem dies sui Principatus, superas evolavit ad ædes, ut citius immortalitatis laurea donaretur. Anno Domini 1656. ætatis suæ 71. Hoc alterum Mausoleum Serenissimo Parenti Federicus filius erexit. Anno salutis 1656.

In templo S. *Joannis Evangelistæ* sub statua marmorea Jo. Andr. Baduarii:

Ecce JOANNIS ANDRÆ BADUARII hu-

hujus loci Prioris permirabiliter ducta effigies, magni index animi, & maritimæ disciplinæ simulacrum. Qui cum honores omnes esset consecutus, pietatem in pauperes unam coluit, senexque Triremem illam nobilem adinvenit pugnæ Navalis propugnaculum & testimonium. Vixit an. 82. Obiit 1566.

In *templo Sti Rochi* sub statua quadam pedestri:

PEREGRINI PRUSELLI GRILLI
Pergomatis Equitis ossa.
Huic Veneti exercitus magisterio diu functo
ac memorabili adversus Helvetios
Bartholomæi Liviani auspiciis inter L milites
ad Marianum pugna maxime claro.
Inde redeunte,
dum Athesin ponte jungit,
ictu tormenti sublato
magno omnium mœrore
fratres pientiss. egregiæ fortitudinis M. P. 1517.

In *tabula quadam* marmorea *Scholæ S. Rocchi* sequentem leges inscriptionem:

1576 ALOYSIO MOCENICO Principe Veneto.

Sæviebat pestifera lues, qua nulla unquam vel diuturnior, vel perniciosior exstitit, nostrorum criminum ultrix; passim urbe tota cadavera jacere prostrata, carbunculis, maculis, bubonibus horrentibus obsessa, iisdem ædibus, eadem hora funera funeribus continuari. Ubique lacrymæ, suspiria, singultus, ubique totius Civitatis miserabilis aspectus. Civibus repente vel obeuntibus, vel

vel metu perterritis dulcem patriam deserentibus. Demum aliquando Deipara Virgine ac beatiss. Roccho deprecatoribus, visa est hæc Erynnis, adeo tristis ac dira, extremo mense Decembris, cum Martio cepisset grassari ac furere, vim fere omnem amisisse. Quo quidem temporis intervallo cum societatis nostræ 400 plus minus Fratres intercidissent, iisdem ipsis fratribus, eorumque familiis præstantissimi Viri Dominici Ferro Magni Societatis Magistri studium, diligentia, benignitas, charitas nunquam sane defuit. Qui quidem tantam cladem hoc ipso monumento testatum voluit, utque legens posteritas admiretur, ingentemque Venetor. multitudine Pestis crudelitate absumptam, pientiss. lacrymis prosequatur.

In *Parochiali Sti Thomæ*, supra portam Sacristiæ in marmore cælatum:

D. O. M.
Venerare Antistitem JO. MARIAM
LINUSCIUM,
hoc saxo tectum, fama detectum.
Proh! immite ac mite Fatum.
Terris ablatum, Cœlo illatum
beavit.
Ætatis anno 48. Sal. 1669. die Sept. Kal. XB.

In *Parochiali Sti Barnabæ*:

D. O. M.
CLAUDIO AREOSTO Poetæ Nepoti, qui post Legationes multas apud Pium IV. Pontif. Max. Carolum V. Imper. Philippum II. Hispaniarum

rum Regem, ac poſtremo apud Sereniſſ. Rempub. pro Principibus Eſſenſibus honorifice peractas, cum privatæ vitæ ſtudio aliquot annos, DEO, ſibique vixiſſet, ſecundum & octogeſimum annum natus, feliciſſime ex hac vita demigravit, 7 Kal. Decembris 1600.

Apud *Monachos Benedictinos* Sti *Georgii Majoris*:

Memoriæ TRIBUNI MEMI optimi Principis, qui Factioſis Urbe pulſis, inde Ottonis II. Cæſaris odio in Rempub. mirifice eluſo de eadem ubique promeritus ut æternam, eamque certiorem adipiſceretur gloriam, abdicato Imperio, hanc inſulam Monachus incoluit, ac ejusdem inſtitut. Viris pie legavit, iidem grati animi ergo poſuere 1610. deceſſit 1492.

INSCRIPTIONES PROFANÆ:

In *Palatio Principis ex* adverſo ſcalæ principalis muro impreſſum:

HENRICUS III. Galliæ Rex & I. Poloniæ Chriſtianiſſ. accepto de immatura Caroli IX. Galliæ Regis fratris conjunctiſſimi, morte triſti nuncio, e Polonia in Franciam ad ineundum Regnum hæreditarium properans, Venetias anno ſal. 1554. 14. Cal. Auguſti acceſſit, atque ab ALOYSIO MOCENIGO, Sereniſſimo Venetiarum Principe, & ab omnibus hujuſce Reipub. Ordinibus, non modo propter veteris amicitiæ neceſſitudinem, ſed etiam ob ſingularem de ipſius eximia virtute atque animi magnitudine opinionem, magnificentiſſ.

 poſt

poſt hominum memoriam apparatu, atque alacri Italiæ prope univerſæ, ſummorumque Principum præſertim concurſu exceptus eſt. Ad cujus rei, gratique Regis animi erga hanc Remp. memoriam ſempiternam, Senatus hoc monumentum fieri curavit. Arnoldo Ferrerio, ſecretioris Conſilii Participe, Regio apud Remp. Legato, id etiam poſtulante.

Sub Leonibus tribus

Ante armamentarium Reipubl. majus poſitis, ***ad levam***, *ſub leone majori primo:*

FRANCISCUS MAUROCENUS Peloponneſiacus
Expugnatis Athenis
Marmorea Leonum ſimulacra
triumphali manu Epiro direpta
in patriam tranſtulit futura Veneti Leonis,
quæ fuerunt Minervæ Atticæ ornamenta.

Ibidem ſub *ſecundo:*

Athenienſia Venetæ Claſſis Trophea
Veneti Senatus decreto
in Navalis veſtibulo conſtituta
Anno ſalutis 1687.

Sub minori ſolummodo:

Ex Atticis.

Ad *Campanile Armamentarii*:

Senatus Conſul
eodem tempore navibus egreſſum
& dominium ampliavit;
Sic fauſtæ plurima regna
Patriæ reſtituit.

M. An-

M. Antonio Justiniano Duce,
Andrea Valerio Paulo, Justo Lolino, Jo. Ant.
Ruzzino, Anton. Canati, Nicol. Duodo &
Georgio Cornelio,
Navalis armamentarii Præfectis.
Anno sal. M D C X X C V I. Fœd. III.

Sub busto *Comitis Konigsmarckii*, quod supra portam quandam armamentarii collocatum conspicitur:

OTTONI WILHELMO a KOENIGSMARCK,
terrestrium copiarum contra Turcas Præfecto,
semper Victori.
M D C L X X X.
S. C.

Supra *portam Bibliothecæ cœnobii Sanctæ Mariæ, della Salute dictæ*,

Ingeniorum exuviæ,
Immortalitatem adeptæ,
Posteritati legatæ.

Ibidem prope scalam majorem, sub statua *Hieronymi Æmiliani* marmorea:

Congregationis Somaschæ fundator,

Sub statua *S. Augustini*:

S. Augustinus Religionis legislator.

Sub statua *Pauli III. Papæ*:

Congregationis Approbator.

Sub statua *S. Pii* V. Papæ:

Religionis Confirmator.

Prope ſcalam majorem S. *Georgii Majoris* Monachorum Benedictinorum in pariete:

Facilem habes hoſpes
aſcenſum,
ut diſcas,
ad arduos cœli apices
modico labore
pervenire.

Ad *alterum latus:*

Quisquis hos gradus premis,
vitia quoque calca;
ſic tibi ex piaculis
novo more
ſcalam facies
ad cœlum.

Supra *portam ædificii*, ubi ſanitatis ſchedulæ (fede di ſanità) diſtribuuntur:

Peſtilentia cœpit	Deſiit
An. Sal. MDLXXV.	An. S. MDLXXVII.
XII. Kal. Sext.	XII. Kal. Sext.

Ut primum exoptatam ægris afferre ſalutem
Incipiunt Patres, horrida peſtis abit.
Proviſores Salutis.

In *campo S. S. Johannis & Pauli* vides ſtatuam æneam equeſtrem Ducis Coleoni, in ejusque ſtylobate eximii marmoris:

BARTHOLOMEO COLEONO Bergomenſi ob militare imperium optime geſtum:

In

In *parte postica*:

S. C. *Johanne Mauro & Marino Venerio* Curatoribus, ann. Sal. MCCCCLXXXXV.

RHODIGIUM.

In *stylobata statuæ*, in medio foro erectæ, super quam Leo alatus conspicitur:

Venetorum hoc insigne invictiss. Rhodigina Reipubl. candidam præ se ferens fidem erexit.

FERRARIA.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

In *Basilica ad lævam altaris* in pariete:

Hic jacet Sacre Memorie URBANUS PAPA III. nacione Mediolanensis & genere Cribellorum sepultus Millo CLXXXV. & revelatus Millo CCCV. die VIIII. mensis Augusti indicione tercia temporibus fratris Guidonis Ferrariensis Episcopi Johannis Archipresbiteri & bona gracie prepositi.

Humi in lapide sepulchrali altare versus:

Vermis de Verme vermibus dixit:
Mater & soror mea vos estis, itemque
ait vermis sum, & non homo
quia figura hominis facta est umbra.

Mortis hunc sibi sepulchri titulum poni jussit THADDEUS S. R. E. Presb Card. DE VERME Ferr. Epi. III. id. Januar. MDCCXVII. defunctus. Canonici tantæ modestiæ obsequentes, ut cætera morum posteri conjicerent.

P. P.

In Basilica non procul a tumulo Papæ *Urbani III.*

Quid hospes adstas? Tymbion
Vides GIRALDI LILII
Fortunæ utramque paginam
Qui pertulit, sed pessima
Est usus altera, nihil
Opis ferente Apolline.
Nil scire refert amplius
Tua, aut sua, in tuam rem abi
Lil. Greg. Giraldus Proton. Apostol.
Mortalitatis memor, Anno LXXXII.
V. S. P. Cur. MDL.

In *templo Theatinorum* sub busto nivei marmoris:

D. O. M.
M. AURELIO CALVANO Ferrariensi,
Alexandri J. C. celeberrimi filio,
in Firmano, Pisano, Patavino lyceis
primario Iur. Civ. interpreti
quorum uterque legalibus prælo datis voluminibus
Posteros erudivit,
Alexand. & frēs ex Camillo Galvano Prē. hæredes
Quo bibliotheca ex legato translata
hic monumentum mœstissimi posuere,
decessit Patavii ann. MDCLX.
ætatis vero LXIV.

Ibidem:

D. O. M.
MATTEO DANESIO Ravennati
Quæ legalis disciplinæ spes dederat,
abstulit mors immatura,
& dum ille novissimum exspectat,

præ-

præterito ſublato
præſentem lacrymarum diem
hoc lapide
indixit
Lucas Daneſius Eq. Prot. Apoſt.
Patruus M.
A. D. MDCXV.

Apud Carthuſianos ſupra templi portam:

Anno primo a ter remoto maximo ſuperato navali exercitu Turcarum DEO immortali ſummo ac Divo Chriſtoforo templum reſtauravimus MDLXXI. regnante Alfonſo Eſtenſe II. Duce Ferrariæ quarto.

In *templo, Maria del Vado dicto*, tabulæ cuidam legitur inſcriptum:

Ego illa PHILIPPA CAMERINA muliebri corpore viri animum gerens, in lubrico conſtiti, tum deſpiciendo, tam aggrediendo, omnium in me oculos contuli, illos admiratione ſtupentes, hos hæſitantes ſciens reliqui. Duos acerrima pugna Tyrannos diſtraxi; & quoniam nihil ſine hac mihi ſimilitudine juncta, ut cum ea, vel ex ea nata videar agendum, conſtitui ex principiis futura percipiens hoc præparavi.

Infra adhuc:

Quæ ſunt pro his, quæ non ſunt, quæ ſi eſſent
Pro his, quæ cum ſint, non ſunt, quæ videntur
Eſſe pro his, quæ clara ſunt, in cauſa ſunt, ut
Quod eſtis, ſitis.
A. O. MDXVIII. 70.

Addit. ad Inscriptiones Sacras.

In *templo Benedictinorum* & in una columnarum partis sinistræ;

D. O. M.

LUDOVICI AREOSTO Poëtæ Patricio Ferrariensi, Augustinus Mustus tanto Viro, ac de se bene meren. tumulum, & effigiem marmoream. ære proprio P. C. an. salutis MD. LXXXVIII. Alphonso secundo Duce. Vixit an. LIX. obiit an. salutis M D XXXIII. VIII. Idus Junii.

Et *paulo inferius* lapidi incisum:

Hic AREOSTUS est situs, qui Comico
Aures theatri sparsit urbanas sale,
Satyraque mores strinxit acer improbos
Heroa culto qui furentem carmine
Ducumque curas cecinit, ac prælia
Vates corona dignus unus triplici
Cuirina constant, quæ fuere vatibus
Grajis, Latinis, vixque Hetruscis singula.

INSCRIPTIONES PROFANÆ:

Sub *statua sedente* ante portam Palatii:

Hanc tibi viventi Ferraria sacrat columnam.

Sub *altera equestri* ibidem:

NICOLAO MONTICONO Estensi Al. F. Ter. Pacis Italiæ Auctori V. P. Ferrara Leonato Mar. Germ. & Successore perfici imperante dicavit Augusto Villa Patre Patriæ procurante MCCCCI.

AUGUSTI VILLÆ memoriam vetustate obli-

obliteratam visibilem reddi jussit *Johann Villa* & ipse Pater Patriæ MDCLXXII.

RAVENNA

INSCRIPTIONES SACRÆ.

Lapidi cuidam antiquo sepulchrali *Monasterii S. Vitalis*, muro affixo, incisæ conspiciuntur duæ figuræ cum Inscriptione sequenti:

OLIÆ. P. F.
TERTULLIÆ.
V. Ann. XV. M. VIIII. D. X.
Olius. Tertullianus.
Filiæ. Pientissimæ. &. sibi.

Ibidem humi capitis *truncatio S. Ursicini*, hic circumscriptis verbis:

Hic S. URSICINUS capite obtruncato martyrii palmam adeptus est.

Ibidem in columna quadam:

De Die XXVIII. May. MDCXXXVI.
Nec sacris parcens ruit unda huc usque Viator,
Molliter ur jaceant flumina nostra, roga.

In *Sacello S. Nazarii & Celsi*, a famosa illa Galla Placidia exstructo, tria vides sepulchra, quorum tenorem tabula in altari collocata his verbis exhibet:

Viator, qui antiqua visis, hic tergemino clausi marmore jacent GALLA PLACIDIA, Honorius Theodosii Senoris Imperatoris Filii, Constantius Placidiæ conjux, ac Valentinianus tertius eo-

rum filius, mundanæ celſitudinis reliquiæ & terrenæ caducitatis argumentum.

Ad latus ſiniſtrum Portæ majoris ſub *Porticu ante templum S. Apollinaris* in lapide muro affixo :

Propagatori. Romani. Imperii. fundato.
quietis. publicæ. D.
Fl. Conſtantino.
Semper. Aug. Divi.
Conſtanti. Filio.
Setorius. Sillanus.
V. P. Præpoſitus.
Fabricæ. Devotu.
N. M. O. E.

Ibidem in lapide ſepulchrali :

M. *Cocceio. M. Pollionis. Nepoti*
Trib. Pleb. Deſi.
Leg. Pr. Pr. Prov. in.
Siciliæ. Quæſt.
Trib. Mil. Leg. XI. Cl. .
Se Viro Eq. R. XVI. R. St.
Primitivos. Lib.
VI. Vir.

Sub *urna Porphyrea* lapidi marmoreo inciſum legitur :

Vas hoc Porphyria cum olim Theodorici
Gothorum Imp. cineres in Rotundæ apice
Recondens huc Petro Donato Cæſio
Narnien. Præſule favente tranſlatum
Ad perennem memoriam Sapientes
Reip. Rav. P. P. C. MDLXIII.

In

In arca, ubi conditum est *corpus S. Apollinaris*, Martyris, *tres* conspiciuntur *laminæ argenteæ*, martyrii ejus historiam in compendio repræsentantes.

In prima:

Ortus ab Antiochia *B. Apollinaris* a summo Apostolorum Principe Ravennam missus est prædicare baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Ibique Deus per illum virtutes multas operatus est, nam cœcos illuminavit, paralyticos curavit, mutos loqui fecit, Dæmones fugavit, mortuos suscitavit, leprosos mundavit, simulacra & Idolorum templa dissolvit.

In secunda:

Hic fustibus cæsus est diutius super prunas, stetit nudis pedibus, equuleo appensus denuo verberatus, super plagas aquam suscepit fervidam, cum gravi pondere ferri in exilium relegatus, ore saxo contuso defunctus est sub Vespasiano Cæsare die X. Kal. Augusti regnante Domino nostro Jesu Christo cum Patre & Spiritu Sancto in Secula Seculorum. Amen.

In tertia:

Hic requiescit Sacratissimum Corpus Beatissimi Apollinaris Martyris & Sacerdotis Christi. Quod vero hic deest, in hac eadem Ecclesia maxima cautela conditum est.

INSCRIPTIONES PROFANÆ.

In Platea prope Monasterium P. P. Franciscanorum

rum vides *sepulchrum* DANTIS ALIGHERI, *Poëta*, in Sacelli forma exſtructum, cum ejusdem effigie marmorea, lauro cincta, ſuper quam hæc verba:

Virtuti
&
Honori

Op.
Petri
Lombardi.

Ad Dextram:

S. V. F. *

* h. e. ſibi vivens fecit.

Jura Monarchiæ, Superos, Phlegethonta lacusque
Luſtrando cecini, voluerunt fata quousque.
Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita caſtris,
Factoremque ſuum petiit felicior aſtris:
Hic claudor Dantes patriis extorris ab oris,
Quem genuit parvi Florentia mater amoris.
Ann. Sal. TCCCCLXXXIII. VI. Kal. Jun.

Ad lævam in tabula quadam marmorea.

Exulem a Florentia *Dantem* liberaliſſime excepit Ravenna vivo fruens, mortuum colens. Magnis cineribus, licet in parvo, magnifice parentarunt Polentani Principes erigendo, Bembus Prætor luculentius extruendo pretioſum Muſis & Apollini Mauſolæum, quod injuria temporum penequalens Emin. Dominico Maria Curſio Leg. Johanne Salviato Prolegato, Magni Civis cineres patriæ reconciliare cultus perpetuitate curantibus.

S. P. Q. R.

Jure ac ære ſuo tanquam theſaurum ſuum
munivit, inſtauravit, ornavit.
Anno Domini M. DC. XCII.

Quan-

Quando restauratum fuit hoc sepulchrum, *Pater celeberrimi Cardinalis Petri Bembi* sequentes adjecit versiculos:

Exigua tumuli, DANTES, hic sorte jacebas
Squallenti nulli cognite pene Situ.
At nunc marmoreo subnixus conderis arcu
Omnibus & cultu splendidiore nites.
Nimirum *Bembus*, Musis incensus Hetruscis
Hoc tibi, quem inprimis hæ coluere, dedit.

Fluvium Ronco versus, tribus milliaribus Italicis Ravenna distantem videbis *columnam quadrangularem*, in eaque sequentes cælatas inscriptiones. *Versus occidentem infra:*

Videbis hospes, huc parum attollens caput, inscriptus iste quid velit lapis tibi; Recenset lilam nempe cladem maximam Galli atque Iberi exercitus Æmiliam quæ pæne totam maculavit sanguine.

Supra:

Heus Viator illic trans flumen
Castra metatus olim Gasto Foissejus
Galliarum, Ductor Ravennam
Oppugnat, Murum aperit
Tormentis, & conarur irrumpere.

Versus Orientem infra:

Hac petra Petrus Donatus donat Iberos
Gallosque hic cæsos Cæsius enumerat.

Supra:

Heu cladem horrendam, ille percelebris ager est
Viator,

Viator, in quo acerrime utrinque pugnantium viginti pene hominum millia conciderunt.

Versus Septentrionem infra:

Paulo III. Pont. Max. ſedente
Petrus Donatus Cæſius Epiſc. Narn.
Utr. Sign. Refer. dum Æmiliæ
Præſideret locumque hunc
Conflictus Ravennatis celebritate
Clarum diligenter exploraſſet
Ne tantæ rei memoriam vetuſtas
Temporum aboleret, hoc erecto
Marmore conſervandam curavit.

Supra:

Rejectus ab Oppidanis amnem
Illuc trajicit, acies inſtructas
Huc ducit, & cum Pro-Rege
Hiſpano, & Pontificio Exercitu
Indicto bello confligit.

Versus meridiem infra:

Acta ſunt hæc pridie Idus Aprilis
Anno a partu Virginis ſupra
Sesqui milleſimum duodecimo
Julio II. Pont. Max. Chriſtianorum
Rempublicam Gubernante.

Supra:

Hinc poſt, cruenta Gallorum
Victoria Gaſtone perempto
Hiſpanorum reliquie evaſerunt.
Poſtremo capitur Ravenna
A victoribus ac diripitur. Abi.

ARIMI-

ARIMINUM.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

Extra *templum P P. Franciſcanorum* ſarcophago lapideo in muro inciſum eſt:

SEBASTIANO VANTIO U. C. & acutiſſimo Juris Interprete, quod patriam civesque ſuos ampliſſ. meritis proſecutus ſit, & accurate a ſe ſcriptos Juris commentarios ediderit, quodque lites publicas valde graves & diuturnas tandem diligentia & ſtudio diremerit, Romæ adhuc viventi hunc monumenti locum inter præcell. viros S. P. Q. Arim. attrib. Q. cenſuerunt LDDDV. Feb. MDVI. Paulo IV. Pont. Max.

Aliud ibidem:

ROBERTO VALTURINO, qui de re militari duodecim libros ad Sigismundum Pandulphum Malt. accuratiſſime ſcripſit, quique Roberto Malt. Fil. comitate & fide carus exſtitit Pandulphus Mal. Sigismudi nepos adhuc impubes memor officii hoc monumento B. oſſa condi juſſit. Vixit ann. LXX. M. VI. D. XVI.

INSCRIPTIONES PROFANÆ.

In ponte antiquo ſuper fluvium Ariminum:

Cæſar Divi F. Auguſtus Pontifex Maxim. Cos. XIIII. Imp. XX. Tribunitia Poteſtat. XXXVII. P. P.

Ex adverſo:

Ti. Cæſar Divi Auguſti F. Divi Juli. N. Auguſti Pontif.

tif. Maxim. Cos. IIII. Imp. VIII. Trib. Potest. XVII. dedere.

In loco *quodam parietis curiæ lapidi* antiquo incisum:

C. Cæsari August. Cos. Vias omnes a Rimin. Tern.

In *angulo hujus curiæ* versus plateam majorem:

Civitas hæc & Curia
terræ motus inclementia dirutæ
Anno salutis MDCLXXII.
civium calamitatibus
diu superstites ingemuere,
donec unam regnatrix
CLEMENTIS X. P. M. munificentia
pecuniario subsidio
mœnibus suis destitutam erexit,
alteram majori clade prostratam
publico ære
provida Senatus magnificentia
INNOCENTIO XI. PON. *Max.*
Parente totius Orbis Optimo
Card. Dominico Maria Cursio
Antistite hujus urbis optatiss.
ac Æmiliæ Legato vigilantiss.
pristinæ Majestati restituit
Anno Domini MDCLXXXVII.

Infra in pariete curiæ:

Mantii Franci Regis Bungi, Michaelis Protasii Arimanorum Regis ac Barptolomei Omurae Principis, Juliani, Martinique Comitum, ab Iaponor remotiss. insulis ad D. Gregorium XIII. legatorum, ut

ut jam ſuſceptam Chriſti fidem profiterentur, optatiſſ. Ariminum adventui XVI. Kl. Julii publico ſumptu, maximaque lætitia hoſp. MDLXXXV. Sixto V. P. O. M. ſeden. S. P. Q. Ar. D.

In *foro quodam lapidi cuidam quadrangulari* inciſum legitur:

Cajus Cæſar Dict. Rubicone ſuperato civili bel. commilit. ſuos hic in foro Ar. allocutus.

In parte poſtica:

Suggeſtum hunc vetuſtate collapſum Coſſ. Arim. menſium Nov. & Decemb. MDLV. reſtit.

In *arcu triumphali ad Portam Piſaurum verſus*:

Cſſ. *Sep. Deſignat. Oct. Aug. M. V. celeberrimeis Italiæ Vieis Conſilio Senatus Populus .... LLeis.* *

* reliqua abolevit vetuſtas.

Ex *altera parte:*

Im. *Cæſar Divi Jul. Fi. Auguſtus Pont. Max. Coſ. XIII. Trib. Pot. XXVII. P. P. Murum dedit curante L. Turcio ſecundo Approniani Præf. Urbis Fi. Acteio V. C. Corect. Flam. & Piceni.*

Non procul ab hoc *in pyramide*:

Coſſ. Ariminen. poſſ. idib. Mart. MDLXVII.

In *muro amphitheatri* extra cœnobium PP. Capucinorum:

Amphiteatri
Olim P. Sempronio Coſ.
excitati

reliquias indigitat
Sen. Ar.

CATHOLICA.

In *pariete prope templi portam extus*:

Anno reparatæ ſalutis CCCLIX. LIBERIO PONT. MAX. CONSTANTIO IMPERATORE, cum hæreticorum fraudibus ingemiſcens orbis terrarum ſe Arianum eſſe miratus eſt, ex quadringentis Epiſcopis ad *Synodum Ariminenſem* convocatis, perpauci in hunc locum ventitantes, ut ſeorſim ab Arianis ſacra facerent, & catholica communione Catholicos impertirent, occaſionem præbuerunt, ut vicus ipſe Catholica nuncuparetur, cujus nominis rationem ac totius rei geſtæ memoriam *Cæſar Cardinal Baronius* Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit, *Bernhardinus Cardinalis Spada* ad peregrinorum pietatem erudiendam, amoremque ſuum erga patriam provinciam teſtandum hoc poſito marmore indicavit Anno M. DC. XXXVII.

PISAURUM.

Supra portam Ariminum verſus:

GUIDUS UBALDUS *Dux Urbini* IIII. hoſtium pallori ac pavori oppidanorum & ſuorum ſaluti atque ornamento Piſauri amplifica circummunitione, quam a ſe prius excogitatam Franciſcus Maria Pater ob vitæ brevitatem vix inchoatam reliquit, paternis veſtigiis prudentiſſime inhærens admirabili ſtudio ac digentia perfecit. MDLXIV. Id. Cal. VI. Idibus.

Sub

Sub *statua marmorea Papæ Urbani VIII.* in foro majori posita supra stylobatam quadrangularem, in qua sequentes conspiciuntur Inscriptiones:

1.

URBANO VIII. P. O. M.
Civitas Pisaurensis
per egregia ejus prudentiæ consilia
cum universa ad Metaurum ditione
inter plurimas difficultates sine strepitu armorum
ad sedis Apostolicæ dominationem revocata
præclaro constantiæ ac moderationis exemplo
Sanctas Prædecessorum leges confirmante
mox præter alia plurima beneficia
liberali condonatione
sexaginta millia aureorum obstricta
grati animi monumentum.

2.

Carolo Cardinali Barberino Legato
ob justitiam integerrime administratam
& publicam securitatem in tota provincia
sine ullius capitali supplicio
partam & conservatam
ob tam providam annonæ curam
ut in magna sterilitate annorum
nulli fuerit vel publice vel privatim gravis,
ob restitutos ejus beneficio & autoritate
Saluberrimæ aquæ ductus Pisaurensium commodo
iidem memores posuere.

3.

D. O. M.

Benedictus de Benedictis & Johan. Andreas de Ab-

 batibus

batibus Oliverus Patritu Pisaurenus egregio huic operi faciundo autoritate publ. eo præfecti impigre perfici curarunt. A. D. MDCLXXXIV.

4.

Francisci Cardinalis Barberini sub Patruo Urbano VIII. industriæ, solertiæ, benificentiæ singular. in hac civitate totaque provincia recuperanda, ordinanda, fovenda Pisaurenses posterorum gratæ memoriæ Consul. posuere.

Ibidem circum fontem :

Pisauri Patricii ære publico.

FANUM FORTUNÆ.

INSCRIPTIO SACRA.

Supra *portam ingressus templi Sti Petri* intus:

D. O. M.
HIERONYMO GABRIELI
Nobili Fanensi
Hujus templi & Congreg. Oratorii
in hac Urbe fundatori
Viro ob distributas in pauperes facultates
& sparsa in omnes pietatis officia & exempla
optimo ac memorabili
Congreg. Patres de se deque patria
immortaliter promerito
posuere
Anno D. MDCXLVIII.

PROFANA.

In *arcu triumphali*, cujus ectypon exstat Prope

in

in pariete ædis S. Michaelis, archetypo injuria temporum in arcu ipso deleto:

Arcus ab Augusto erecti, posteaque tormentis ex parte diruti bello Pii II. contra Fanen. an. MCCCCLXIII.

Imp. Cæsar. Divi. F. Augustus. Pontifex. maximus. Cos. XIII. tribunicia. potest. XXXII. Imp. XXVI. pater patriæ murum dedit.

Curante. L. Turcio. secundo. Aproniani. Præf. Urb. fil. Asterio V. C. Corr. Flam. & Piceni.

ANCONA.

INSRIPTIONES PROFANÆ.

In *arcu triumphali* inter porticus:

Imp. Cæsari. Divi. Nervæ. F. Nervæ.
Trajano. Optimo. Aug. Germanic.
Dacico. Pont. Max. Tr. Pot. XVIII. Imp. IV.
Cos. VI. P. P. Providentissimo. Principi.
Senatus. P. Q. R. quod. accessum.
Italiæ. hoc. etiam. addito. ex. pecunia. sua.
Portu tutiorem. navigantibus. reddiderit.

Ad latus dextrum:	*Ad lævum:*
Plotinæ Aug.	*Divæ Marcianæ Aug.*
Conjugi Aug.	*Sorori Aug.*

In *curia sub statua quadam sedente:*

Statuam hanc celeberrimi Marci de Rubeis, Perusini, Statutorum Anconæ Conditoris, hasque cæteras sculptas tabellas, quæ ad ornatum Palatii foris extabant antiquitus, hic modo non venustatis, sed vetustatis gratia circumposuimus.

MDCXXXXVI.

ÆDES LAURETANA.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

In *frontispicio ædis Lauretanæ Orientali:*

Chtistiane hospes, qui pietatis uterque causa huc advenisti. Sacram Lauretani ædem vides divinis misteriis & miraculorum gloria toto orbe terrarum venerabilem. Hic Sanctissima DEI Genitrix Maria in lucem edita. Hic ab Angelo salutata. Hic æterni DEI Verbum caro factum est. Hanc Angeli primum a Palestina ad Illyricum adduxere ad Tersanctum oppidum anno salutis 1291. Nicolao IV. Summo Pontifice. Postea initio Pontificatus Bonifacii VIII. in Picenum translata prope Recinetam urbem in hujus collis nemore eadem Angelorum opera collocata; ubi loco intra anni spatium ter commutato, hic postrema sedem divinitus fixit anno ab hinc CCC. Ex eo tempore tantæ stupendæ rei novitate vicinis populis ad admirationem commotis tum deinceps miraculorum fama longe lateque propagata, sancta hæc domus magna apud omnes gentes veneratione habita; cujus parietes nullis fundamentis subnixi, post tot seculorum ætates integri stabilesque permanent. Clemens VIII. Pontifex maximus in hoc marmoreo lapide inscribi jussit. Anno Dni. MDXCV.

In *corona majori* super caput B. Virginis, a Ludovico XIII. Gallorum Rege, dono oblata:

Tu caput ante meum cinxisti Virgo corona;
Nunc caput ecce teget nostra Corona tuum.

In

In corona minori super caput infantis Iesu:

Christus dedit mihi,
Christo reddo coronam.

In Calice votivo Pii II. Papæ.

Pia DEI genitrix

Quamvis tua potestas nullis coarctetur finibus, ac totum impleat orbem miraculis; quia tamen pro voluntate sæpius uno loco magis quam alio delectaris, & Laureti tibi placitam sedem per singulos dies innumeris signis & miraculis exornas: ego infelix peccator, mente & animo, ad te recurro, supplex orans, ut mihi ardentem febrim, molestissimamque tussim auferas læsisque membris sanitatem restituas, Reip. ut credimus salutarem. Interim hoc munus accipito, meæ servitutis signum.

Pius Papa II. Ann. hum. sal. MCCCCLXIV.

In tabella votiva Card. Moroni.

JOANNES CARD. MORONUS *Episcop. Port.* gravissima infirmitate oppressus, a DEO intercessione B. Mariæ semper Virginis liberatus, voti compos votum persolvit, an. Dom. MDLXV.

In annulo aureo, egregia smaragdo insigni, donum hominis ignoti cum hisce verbis in schedula repertis:

Virgo singularis,
Mites fac & castos,
O Amor, qui semper ardes,
& nunquam extingveris,

accende ore,
suscipe me servum tuum B.

Sub monumentum Card. Gaetani, vario distinctum marmore, ipsiusque simulacro decoratum, in tabula marmorea:

NICOLAUS GAETANUS, Cardinalis Sermoneta Gentilis Papæ Bonif. VIII. cum sub id tempus, quo ille Pontificatum iniit, sanctam hanc domum hic tandem divinitus consedisse, & multa se a DEO Opt. Max. B. Virg. Deiparæ precibus obtinuisse meminisset, sperans ejusdem opem morienti non defuturam, monumentum hoc marmoreum, vivens & incolumis sibi faciendum curavit, atque in eo, ubi mortalitatem exuisset, corpus suum recondi voluit, ann. agens LIV. obiit annos natus ferme LX. ann. sal. hum. MDLXXXV. mense Majo.

SPOLETUM.

In *Portam Hannibalis vulgo dictam:*

Annibal
Cæsis ad Thrasymenum Romanis
Urbem Romam infenso agmine petens
Spoleto
Magna suorum clade repulsus
Insigni fuga Portæ nomen fecit.

INTERAMNA (*Terni*)

Supra portam Spoletum versus:

Porta, quam Viator ingrederis, trium monumentorum dicta,

Ob

Ob propinqua a fluminibus disjecta monumenta,
C. Cornelii Taciti Politicorum Principis,
Tacitique & Floriani Imperatorum hujus urbis civium,
Nunc in honorem sacratissimæ Laureti domus, quo revertentem te ducit, Lauretana nuncupata.
Aditum præbet sectandi Interamnam, præstantissimum Italiæ municipium,
Patriam illius Claudii Neronis, qui ad Metaurum fluvium, collatis cum Asdrubale signis
Istius internecione & exercitus octoginta Poenorum millium
Annibalem ex Italia expulit, Cartaginensem Rempublicam concussit,
Romanam periclitantem constabiliit, & plures Cæsares terrarum orbi dedit.
Ad perennitatem gloriæ hujus municipii, tantorum Heroum progenitoris,
Interamnates Nahartes hanc memoriam apponi curarunt.
Anno Dni. MDCLXXXIX.

Supra portam alteram, huic proximam;

CHRISTINÆ,
Svecorum Gothorum Vandalorum Reginæ
Zelo fidei Catholicæ Romam petenti
Universum orbem moderante
Alexandro VII. P. O. M.
Urbem hanc gubernante
Horatio Maria Bonfiolo, V. S. R.

Interamnates Nahartes P. P. XVI. Decemb. MDCLV.

In angulo quodam curiæ in foro publico lapidi incisum legitur:

A. Pompejo. A. F. CLV. Q. Patrono. municipi. Interamna. Nahartis. quod. ejus. opera. universum. municipium. ex. summis. periculeis. & . difficultatibus. expeditum. & .conservatum. est. ex. testamento. L. Licini. T. E. statua. statuta. est.

Supra hoc:

Imp. Cæs. L. Domitio. Aureliano. Pio. Felici. Invicto. Augusto. Pont. Max. Trib. Cons. & . Procoss. P. P. Interamnetes Mart. devoti. Numini. ejus. publice.

Proxime huic vides *antiqum lapidem quadrangularem* cum sequenti inscriptione:

T. F. L. T. F. Cluis Lidoreque Rom. Patrit. duorum. equi. Pul. omnibus. S honorib. honeste. functo. quinquii auguri. sacer. Pont. Præt. Sacror. Patrono. Municipi. Interamnat. Nart. Cosnentinorum. Vindenatium. V. B. & . quicquid. vid. in. egregium. hominum. laudes. dici. potest. in. hoc. sit. beneficio. naturæ. conlatum. possessore. inquilini. negotiantes. viæ. strata. cultores. Herculis. rarissimo. L. D. D.

In foro supra fontem pene dirutum:

Aquarum delicias
Quas suo mirabatur in agro
& sitiebat in gremio
Interamna inclytæ patriæ commodis
Comes Antonius Manasse

Eques

Eques Sancti Michaëlis De
Dnis. Castri. Copparum Condnus.
terrar. Cœlestat. & turris Ursinæ
suo ære ingenioque adduxit.
Marco Butaglino Gubernat.
MDCLXXXIII.

In *pariete Curiæ*,

IOANNI CARAPHÆ Paulli IIII. Pont. Max. Fris. Filio C. V. Palliani Duci summo S. R. E. Præfecto, quod ejus autoritate universa civitas maximis incommodis & intensis atque eminentibus periculeis in Gallorum transitu liberata & conservata est.

Ordo interamnat. Nahart. sext. men. an. sal.
MDLVII.

Sub *peristylio seminarii* lapidi oblongo incisum:

Saluti perpetuæ Augustæ libertatique publicæ Populi Romani.

Genio Municipii Anno post Interamnum conditam DCCIIII. Ad. Cn. Domitianum Ænobarbum.

Providentia eti. Cæsatis Augusti nati ad æternitatem Romani nominis sublato hostes perniciosissimo P. R. *Faustus Titius*. Liberalis Vi. Vir. Aug. iter P. S. F. C.

In duobus *lapidibus Curiæ seminarii*, muro injunctis, ad *dextram:*

Hærisſimæ L. T. Mater C. Valerius. C. F. Clu.

Ad lævam:

Jus. sex. F. III. Vir. fac. cær.

Su-

Supra portam quandam domus pervetustæ:
Domus Herculi sacra, M. 492.

In *via inter Ocriculum & Civitatem Castellanam* vides ad dextram *lapidem quadrangularem*, statura virili altiorem, cum sequenti inscriptione:

URBANUS VIII. PONT. MAX.
Tiberim via publica eversa
veterem repetentem alveum
novi effossione
ad dextram deductum
aggeris objectu
validaque compact. lignorum
sub ponte quem declinabat
continuit
conservationi prospiciens
peninsulam adjacentem
attribuit
Anno Salutis M D C XXVIII.
Pontif. sui sexto.

In *medio pontis*, aliquot cent. passus ab hoc lapide distantis, *àd dextram*:

URBANI VIII. PONTIFICIS MAXIMI
providentia
Tiberim a suo cursu
labefactata via declinantem
nova alvei effossione
ac lignorum substructione coërcuit
Anno Salutis M DC XXVIII.
Pontificatus sui sexto.

Et

Et *paulo infra* ibidem:

CLEMENS VIII. PONT. MAX.
pontem a Sixto V. Pont. Max. inceptum
opere magnifico abſolvit
alveo excavato
Tiberim induxit
An. Salut. MDCIII. Pont. ſui XII.

Ad lævam:

SIXTUS V. PONT. Max.
ut commeantes trajectionis moleſtia
& vectigali ſublevaret
pontem inchoavit
Anno ſalutis MDLXXXIX.
Pont. ſui V.

In *ponte Civitatis Caſtellanæ* Ocriculum verſus:

Clemens XI. P. M.
Oppoſitam agrorum partem
Pontæ raræ magnitudinis excitato
civitati conjunxit
Viaque Flaminia intra muros perducta
ac longioris itineris incommodo ſublato
civium non minus quam exterorum utilitati
conſuluit
Joſepho Renato Card. Imperiali
Cong. Boni Reg. Præfecto
curante
Anno Sal. MDCCXII. Pont. XII.

In *ponte altero* verſus Regnano ad lævam:

INNOCENTIUS XI. *Ro. Man. Pont. II.*
Viator ſiſte greſſum
renovatam in hoc marmore de Vejent-

tanis

tanis conflictis lege memoriam
restaurantibus illmis DD. Abbate de
Mirtis Gubernat.
Josepho sacro & Johanne Fantobasso Coss.
Urbanus VIII. P. M.
ad Cremeram ubi nostri Fabios olim trucidavere Veientes pontem hunc quem
vetustas exederat instauravit
Anno Pont. XII.
Antonius Buronus Gubernator
Laurentius Petronius Rodulphus de Rodulphis
Marius Moriconus Coss.

CASTRI NOVI in pariete domus cujusdam, ubi postarum statio:

Clarix. Columna. Angvillaria. Viam. Flaminiam. antea. deviam. Spinis. &. terra. alte. obrutam. labore. &. impensa. oppidanor. castri. novi. purgatam. aperuit. jussu. Greg. XIII. piissimi. Principis. Pau. Prubalus. Pref. Viar. Cur. MDLXXX.

NEAPOLIS & PUTEOLI.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

In *Ecclesia Cathedrali* ad dextram portæ Sacrarii:

ANDREÆ CAROLI UBERTI *Pannoniæ Regis F. Neapolitanorum Regi, Joannæ uxoris* dolo, & laqueo necato, Ursi Minutuli pietate hic recondito; Ne Regis corpus insepultum, sepultumve facinus posteris remaneret. *Franciscus Berardi F. Capycius* sepulchum, titulum nomenque P. Mortuo. Anno 1345. 14. Kal. Octobris.

Ibi-

Ibidem:

GRATIMOLÆ FILIMARINÆ, magnæ matri maximæ ſobolis BONIFACII Noni, quæ indito jam infanti auſpicato Petri nomine, vidit vivens, quod nulli antea datum, juvenem filium annum tunc agens quadrageſimum quintum. Orbis terræ patrem, non minus geſtiens ab illo filiam ſe vocari quam Matrem. Vidit non modo triplici coronatum tiara, ſed coronantem Reges, * jucundius filii pedes oſculata quam caput; imo quem genuit, adoravit. ASCANIUS FILIMARINUS S.R.E. Cardinal poſuit anno 1647.

In Sta. *Maria Annunciata* prope altare majus in marmore:

JOANNÆ II. Hungariæ, Jeruſalem, Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Reginæ, Provinciæ & Folcalquerii ac Pedemontii Comitiſſæ, anno Domini M CCCC XXXV. die II. menſis Februarii, Regiis oſſibus & memoriæ ſepulcrum, quod ipſa moriens humi delegerat, inanes in funere pompas exoſa, Reginæ pietatem ſecuti, & meritorum non immemores Oeconomi reſtituendum, exornandum curaverunt, magnificentius poſituri, ſi licuiſſet. Anno Domini M. DC. VI. menſe Majo.

In *S. Maria in Cosmodin*, ante Sacrarium:

S.

Onuſtus ævo

IANUS hic ANISIUS,

* Ladiſlaum ſcilicet, Caroli III. Regis Neapolitani filium, quem Anteceſſor Bonifacii in Pontificatu Urbanus VI. regno orbaverat.

Quæ-

Quærens melius iter,
Reliquit sarcinam
Qua prægravato
Nulla concessa est quies,
S.
Tum si qua fulsit
Cum Camionis hæc stetit
Quæ mox facessivere
Plus negotii.
H. M. H. N. S.
Hoc de suo sumsit
Sacrum est
Ne tangito.

In *cemiterio templi SS. Apostolorum* Theatinorum Regularium, vides Memoriam celebris *Poëtæ Marini* his conceptam verbis:

JOANNES BAPTISTA MARINUS Neapolitanus, inclytus Musarum genius, elegantiarum parens H. S. E. Natura factus ad lyram, hausta e Permessi unda volucri quodam igne poëseos, grandiore ingenii vena efferbuit. In una Italica, dialecto, Græcam, Latiam ad miraculum usque miscuit Musam. Egregias priscorum Poëtarum animas expressit omnes, cecinit æqua laude sacra, prophana. Divisæ in bicipiti Parnasso ingenio, utroque eo vertice sublimior, extorris diu patria rediit Parthenope Siren peregrina, ut propior esset Maroni Marinus. Nunc laureato cineri marmor hoc plaudit, ut accinit ad æternam citharam Famæ consensus.

Sed *in claustro Monachorum templi S. Agnelli* erectum

ctum noviter ejus est cenotaphium cum busto æneo ad vivum, sequenti epitaphio decoratum:

D. O. M. & Memoriæ Equitis JOANNIS BAPTISTÆ MARINI, Poëtæ incomparabilis, quem ob summam in condendo omnis generis carmine felicitatem, Reges & Viri Principes cohonestarunt, omnesque Musarum amici suspexere. Joannes Baptista Mansus Villæ Marchio dum præclaris favet ingeniis, ut posteros ad celebrandam illius immortalem gloriam excitaret, monumentum exstruendum legavit, quod montis Mansi Rectores ad præscripti normam exegere. Anno MDCLXXXII.

In *campanili Monasterii templi, S. Chiara* dicti *versus Orientem:*

Anno sub Domini milleno. Virgine. nati.
Et tricenteno, conjuncto. cum. quadrageno.
Octavo. cursu. currens. indictio. stabat.
Prælati. multi. sacrarunt. hic. numerati.
G. Pius. hoc. sacrat. Brundusi Metropolita.
R. Bari. Præsul. B. Sacrat. &. ipse. Tranensis.
L. dedit. Amalta. dignum. dat Contia. Petrum.
Pq. Maris. Castrum. Vicus. IG. datque. Miletum.
G. Bojanum. Murum. fest. N. Venerandum.

Versus Septentrionem:

Rex. &. Regina. stant. hic. multis. Sociati.
Ungariæ. Regis. generosa. stirpe. creatus.
Conspicit. Andreas. Calabrorum. Dux veneratus.
Dux. pia. Dux. magna. consors. huicque. Jeanna.
Neptis. Regalis. sociat. soror. &. ipsa Maria.
Illustris. Princeps. Robertus, &. ipse. Tarenti.
Ipse. Philippus. frater. vultu. reverenti.

Hoc. Dux. Duracii. Karolus. ſpectat. reverendus.
Suntque.duo.fratres.Ludovicus.&.ipſe.Robertus.

Verſus meridiem:

Illuſtris. clarus. Robertus. Rex. Siculorum.
Sancia. Regina. prælucens. cardine. morum.
Clari. Conſortes. virtutum munere. fortes.
Virginis. hoc. claræ. Templum. ſtruxere. beatæ.
Poſtea. dotarunt. donis. multiſque. bearunt.
Vivant. contentæ. Dominæ. fratreſque.Minores.
Sancta. cum. vita. virtutibus. &. redimita.
Anno. milleno. centeno. ter. ſociato.
Dono. fundare. templum. cœpere. Magiſtri.

Verſus Occidentem:

Anno. milleno. ter deno. conſociato.
Et. tricenteno. quo. Chriſtus. nos reparavit.
Eleuſes. cunctas. conceſſit Papa. Joannes.
Virginis. huic claræ. Templo. virtute, colendo.
Obtinuit. mundo. toto. quas. Ordo. Minorum
Si. vos. Sanctorum. cupitis. vitamque. piorum.
Huc. o. credentes. veniatis. ad. has. reverentes.
Dicite.quod.gentes.hoc.credant.quæſo legentes.

In *templo ipſo*, & quidem in ſacello quodam ſub organo Muſico:

MARIÆ CAROLI inclyti Principis Domini Ruberti Hieruſalem & Siciliæ Regis Primogeniti, Ducis quon. Calabriæ filiæ hic corpus tumulatum quieſcit: animo ſuſcepto ſacro lavacro, infantili corpore dum adhuc ordiretur, ſoluto, fruente Divinæ viſionis luminis claritate, poſt judicium, corpori incorruptibili unienda.

Ibidem prope Sacriſtiam:

Incly-

Inclyta Parthenopes jacet hic Regina JOANNA.
Prima, prius felix, mox miseranda nimis.
Quam Carolo genitam mulctavit Carolus alter,
Qua morte illa virum sustulit ante suum.
M CCC LXXXII. 22. Maji v. Indict.

Prope *portam minorem* ibidem conspicitur sepulchrum quoddam nivei marmoris, & supra illud statua elegantissima foeminæ cujusdam cum epitaphio sequenti:

Nata eheu miserum misero mihi nata Parenti,
Unicus ut fieres, unica nata, dolor.
Dum tibi namque Virum, tedas, thalamumque parabam,
Funera & inferias anxius ecce paro.
Debuimus tecum poni Materque Paterque,
Ut tribus hæc miseris urna parata foret.

Ibidem adhuc:

ANTONIO EPICURO, Musarum Alumno Bernardinus Rota, primis in annis studiorum socio posuit. Moritur octuogenarius, unico sepulto filio. I nunc, & diu vivere miser cura. MDLV.

In *Sacello Crucifixi Ecclesiæ S. Dominici* Majoris, sepulchrum cum statua & armis familiæ Carafæ:

Huic
Virtus gloriam,
Gloria immortalitatem
comparavit.
M. CCCC. LXX.

Ibidem in Sacello Ducis Maddaloni sepultura cum statua *Diomedis Carafæ*, Cardinalis d'Ariano:

Vivat adhuc, quamvis defunctum ostendat imago;
Discat quisque suum vivere post tumulum.

In *Sacristia hujus Ecclesiæ* sub lapide sepulchrali *Isabellæ de Arragonia*, Alphonsi I. Regis Neapolitani & Hippolitæ Mariæ Sforziæ filiæ, Joanni Galeatio Sforza, Duci Mediolanensi nuptæ.

Hic ISABELLA jacet, centum sata sanguine Regum,
Qua cum Majestas Itala prisca jacet.
Sol, qui lustrabat, radiis fulgentibus Orbem,
Occidit: inque alio nunc agit orbe diem.
Obiit die 11. Febr. 1524.

Ibidem in Marchionem de Pescari:

Quis jacet hoc gelido sub marmore? Maximus ille
PISCATOR, belli gloria, pacis honos.
Numquid & hic pisces cepit? Non. Ergo quid? Urbes,
Magnanimos Reges, Oppida, Regna, Duces.
Dic quibus hæc cepit Piscator retibus? alto
Consilio, intrepido corde, alacrique manu
Qui tantum rapuere Ducem? Duo Numina, Mars, Mors.
Ut raperunt quisnam compulit? invidia.
At nocuere nihil. vivit nam fama superstes,
Quæ Martem & Mortem vincit, & invidiam.

Prope *portam* Collegii, ubi antiquitus docebatur Theologia, effigies marmorea, cum sequenti inscriptione:

Viator, huc ingrediens, siste gradum; atque venerare hanc imaginem & Cathedram, in qua sede Mag. ille THOMAS DE AQUINO de Ne-

cum frequente, ut par erat, Auditorum concursu, & illius seculi felicitate, cæterosque quampluri-mos admirabili doctrina Theologiam docebat, accersito jam a Rege Carolo constituta illa mercede unius unciæ auri per singulos menses. R. F. U. C. in anno 1272. D. SS. F. F.

Adhuc apud Dominicanos ad dextram introitus Ecclesiæ:

DOMINICO CENNINI Patritio Senensi, Gravinensium Pontifici, Magno Cardinali Cennini Consobrino suo sola purpura inferiori. Vitæ integritate, morum suavitate, doctrinæ ubertate, nec illi, nec ulli secundo. In Pontificio exercendo exemplari constantia, in fidei ab hæresibus tuendæ generali ministerio summa prudentia cum primis admirando. De *Dominici* familia, cujus nomine nuncupatus est, cujus meliora charismata æmulari non desiit, cujus Templo corpus suum commendavit, optime merito. Anno LXXXIII. M. II. D. I. nato, cum Gravinæ sedisset An. XXXIX. M. V. D. XVI. XXI. Augusti MDCLXXXIV. ad perennem vitam renato. Fr. Vincentius *Maria Ursinus* Ordinis Prædicatorum, Tituli S. Xysti S. R. E. Presbiter Cardinalis Archiepiscopus Sipontinus, multis nominibus ab ineunte ætate ei devinctissimus, ejusdemque postremæ voluntatis, publicis tabulis expressæ, lubens executor, mutum hunc lapidem vocalem factum, veritatis & animi testem, ceu Patri amantissimo B. M. P.

In *marmore quodam supra columnam*, Templo SS. Marcellini & Festi proximam:

Ne mireris Viator, si columnæ truncus ipse hic locatus fuerim, quum Servatoris imago ab Imperatore Constantinopolitano, Archi-Episcopo Neapolitano dono missa fuerit, bajuli onere defessi super me deposuerunt, quæ quum tolleretur, nullis viribus eripi potuit. Hoc itaque miraculo ejus imago super altare DD. Marcellini & Festi divinitur collocatur, quod Sylvester suis literis comprobavit, quamplurimas concedens indulgentias.

In *Sacello familiæ Sanseverinæ* templi S. Severini Monachorum Casinensium, cernis sepulchra cum statuis trium juvenum fratrum sculpturæ pulcherrimæ, nec non ipsius Matris sepulturam, sequentibus quatuor additis Inscriptionibus:

1.

Hic ossa quiescunt JACOBI SANSEVERINI Comitis Saponariæ, veneno misere ob avaritiam necati, cum duobus miseris fratribus, eodem fato, eadem hora commorientibus.

2.

Jacet hic SIGISMUNDUS SANSEVERINUS, veneno impie absumtus, qui eodem fato, eodem tempore, pereunteis germanos fratres, nec alloqui, nec cernere potuit.

3.

Hic situs est ASCANIUS SANSEVERINUS, cui obeunti eodem veneno inique atque impie commorienteis Fratres nec alloqui, nec videre quidem licuit.

4.

Hospes, miserrimæ miserrimam defleas orbitatem. En illa HIPPOLYTA MONTIA, post natas

tas foeminas infelicissima, quæ *Ugo Sansoverino* Conjugi treis maximæ expectationis filios peperi, qui venenatis poculis (vicit in familia, proh! scelus, pietatem cupiditas, timorem audacia, & rationem amentia) una in miserorum complexibus Parentum miserabiliter illico expirarunt: Vir, ægritudine sensim obrepente, paucis post annis in his etiam manibus expiravit. Ego tot superstes funeribus, cujus requies in tenebris, solamen in lacrymis, & cura omnis in morte collocatur. Quos vides separatim tumulos, ob æterni doloris argumentum, & in memoriam illorum sempiternam. Anno M DXLVII.

In *Templo S. Mariæ Annunciatæ* prope altare majus vides in marmore inscriptionem sequentem:

Joannæ II. Hungariæ, Jerusalem, Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Reginæ, Provinciæ & Folcalquerii ac Pedemontii Comitissæ, anno Domini M CCCCXXXV. die 11. mensis Februarii, Regiis ossibus & memoriæ sepulcrum, quod ipsa moriens humi delegerat, inanes in funere pompas exosa, Reginæ pietatem secuti, & meritorum non immemores Oeconomi restituendum, exornandum curaverunt, magnificentius posituri, si licuisset. Anno Domini MDCVI. mense Majo.

Supra *portam majorem Xenodochii Sanctæ Mariæ Annunciatæ* vides in marmore cælatum Epigramma sequens:

Lac pueris, dotem innuptis, velumque pudicis,
Datque medelam ægris hæc opulenta domus.

Hinc merito Sacra eſt illi, quæ nupta, pudica,
Et lactans; Orbis vera medela fuit.

Ante Ecclesiam S. Petri d' Ara humi:

D. O. M. ANTONIUS SPATAFORA J.U.D. Protonotarius Apoſtolicus, Patricius Lucerinus, hunc ſibi ſepulcralem lapidem poſuit vivens. Occurrens fato, ne ſe occuparet. Præcurrens morti, ne anteverteret. Metam ſibi præfixit, ut vitæ dirigeret curſum. Aſpectu lapidis obdureſcere voluit morti. Pulverem propoſuit morti, ne ſordes contraheret in vita. Pro templi foribus, memor exitus. Anno a Chriſto MDCXXIII. ætatis ſuæ LXXII.

Ibidem;

D. O. M.

FABRITIO FRANCIPANO, cui nec viventi Romana virtus, nec morienti vera pietas defuit, Hæredd. ex teſtam: B. M.

In St. Severino Benedictinorum; Epitaphium J. BAPT. CICARO:

Liquiſti gemitum miſeræ lachrymasque Parenti,
Pro quibus infelix hunc tibi dat tumulum.

Ibidem, ſupra buſtum *Andreæ Bonifaciæ*;

Nate Patris Matrisque amor & ſuprema voluptas,
En tibi quæ nobis te dare ſors vetuit,
Buſta, eheu! triſtesque notas damus, invida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

In *Choro templi S. Petri Martyris* ſepulchrum marmoreum cum corpore *Reginæ Iſabellæ*;

Oſſibus, & memoriæ ISABELLÆ CLARIMONTIÆ Neap. Reginæ Ferdinandi Primi Conjugis

jugis & Petri Aragonei Principis strenui Regis Alphonsi senioris Fratris, qui, ni mors ei illustrem vitæ cursum interrupuisset, fraternam gloriam facile adæquasset. O fatum, quot bona parvulo saxo conduntur!

Ibidem:

BEATRIX ARAGONEA Pannoniæ Reginæ Ferdinandi primi Neap. Regis Filia, de Sacro hoc Collegio opt. merita, hic sita est, Hæc religione, & munificentia se ipsam vicit.

In Ecclesia, S. Maria Nova, dicta:

Ossibus & memoriæ
PETRI NAVARRÆ CANTABRI,
Solerti in expugnandis urbibus arte clarissimi,
Gonsalvus Ferdinandus Ludovici Filius,
Magni Gonsalvi Nepos, Svessæ Princeps,
Ducem Gallorum partes secutum,
pio sepulchri munere honestavit,
quum hoc in se habeat præclara virtus,
ut vel in hoste sit admirabilis.

Ibidem adhuc:

ODETTO FUXIO LAUTRECCO,
Gonsalvus Ferdinandus Ludovici Fil:
Corduba Magni Gonsalvi Nepos,
quum ejus ossa, quamvis hostis, in avito sacello,
ut belli fortuna tulerat,
sine honore jacere comperisset,
humanarum miseriarum memor,
Gallo Duci Hispanus Princeps p.

In Ecclesia *della Croce di Palazzo* dicta:

Hic jacet ſummæ humilitatis exemplum, corpus venerab. mem. SANCTÆ SORORIS CLARÆ, OLIM DOMINÆ SANCIÆ REGINÆ, Hieruſalem & Siciliæ relictæ co. clar. mem. Sereniſſ. Domini Roberti Hieruſalem & Siciliæ Regis, Viri ſui, agens viduitatis debitæ annum, deinde, tranſitoria cum æternis commutans, ac inducens Ejus corpori pro amore Chriſti voluntariam paupertatem, bonis ſuis omnibus in alimoniam pauperum diſtributis, hoc celebre Monaſterium S. Crucis, opus manuum ſuarum, ſub Ordinis obedientia eſt ingreſſa. A. D. 1344. die 21. Januarii 12. Indict. in quo vitam beatam ducens ſecundum Regulam B. Franciſci Patris pauperum, tandem vitæ ſuæ terminum religioſe conſummavit. A. Domini 1345. die 28. Julii 13. Indict. ſequenti vero die, peractis exequiis, tumulatur.

In *St. Maria Annunciata* prope altare majus:

JOANNÆ II. Hungariæ, Hieruſalem, Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Romæ, Serviæ, Galatiæ, Lodomeriæ, Comaniæ Bulgariæque Reginæ; Praviuciæ, Folqualquerii ac Pedemontis Comitiſſæ. Anno Domini MCCCCXXXV. die 11. Menſis Febr.

Regiis oſſibus & memoriæ, ſepulchrum, quod ipſa moriens humi delegarat, inanes in funere pompas exoſa, Reginæ pietatem ſecuti, & meritorum non immemores oeconomi reſtituendum & exornandum curaverunt, magnificentius poſituri ſi licuiſſet. Anno Domini MDCVI. menſe Maji.

Apud *Olivetanos* reperies monumentum ſuperbiſſimum *Mariæ Aragonæ* cum ſequenti inſcriptione:

Qui

Qui legis hæc, fubmiffius legas, ne dormientem excites. Rege Ferdinando orta MARIA ARAGONA hic claufa eft. Nupfit Antonio Piccolomineo Amalfiæ Duci ftrenuo, cui reliquit treis filios, pignus amoris mutui. Puellam quiescere credibile eft, quæ mori digna non fuit. Vix. an. XX. An. Domini MCCCC LX.

Ibidem:

CONSTANTIA DAVALA & BEATRIX PICCOLOMINEA filia, redditis quæ funt Coeli Coelo, & quæ funt terræ terræ, ut femper uno vixere animo, & fic uno condi tumulo voluere. O beatum & mutui amoris conftantiam!

In *æde*, *S. Maria della Concordia* dicta, ad lævam altaris.

Super fepulchrum:

Sepulchrum hoc GASPARIS BENEMERINI, *Infantis de Fez*, & ejus familiæ. De Benemerino.

Circum infignia gentilitia:

Laus tibi Jefu, & Virgo Mater, quod de Pagano Rege me Chriftianum fecifti.

Epitaphium ipfum muro affixum:

D. O. M. B. M. V.

GASPAR ex *Sereniffima* BENEMERINI *Familia*, vigefimus fecundus in Africa Rex, dum contra Tyrannos a Catholico Rege arma rogat auxiliaria, liber effectus a tyrannide Machometi, cujus impiam cum lacte haufer at legem, in Catholicam adfcribitur Numidiam proinde exofus,

pro

pro Philippo III. Hiſpaniarum Monarcha, pro Rodulpho Cæſare, quibus carus præclare in hæreticos apud Belgas, Pannonosque ſævit armatus. Sub Urbano VIII. Eques Commendator Immaculatæ Conceptionis Deiparæ creatur, & Chriſtianis heroicis, Regiisque virtutibus ad Immortalitatem anhelans, centenarius hic mortale reliquit, & perpetuum cenſum, cum penſo quater in hebdomada incruentum Miſſæ ſacrificium ad ſuam offerendi mentem. Anno Domini M D C X L I.

In *templo S. Januarii* prope *la Solfatara* extra Neapolim vides in altari marmoreo cælatum:

D. O. M.
DIVO JANUARIO
Supremo Regni Neapoliani Patrono
Hic loci ante XIV. Secula
ſanguine
e ceſis cervicibus
in ſacrum juxta lapidem
guttis adhuc recentibus aſperſum
effuſo,
ambullisque vineis Neapoli ſumma Religione
ſervato
atque ad perenne Catholicæ fidei teſtimonium
cum capiti concretus occurrit
mira ebullitione liqueſcente
una cum S S. ſociis
martyrii lauream adepto
Jacobus Cardinalis Cantelmus Archi-Ephiſcopus
Neapolitanus
Anno Dom. M D C X C V I I.

Puteolis supra portam templi cathedralis S. S. Proculi:

D. O. M.
Retenta in vetustatis memoria
Externa duntaxat Templi
Calphurniani facie,
Explicataque ad formam sacræ ædis
inaugurata olim Divo Proculo
Tutelari Arca
Templum hoc
a fundamentis excitavit, concinnavit,
& consacravit
D. *Fr. Martinus de Leon, & Cardenas
Hispanus*,
ex Sac. Eremitarum D. Augustini Relig.
Episc. Puteolanus inter Papæ Assistentes
& Regios Consiliarios cooptatus
Anno salutis humanæ MDCXXXIV.

In medio ejusdem templi sub statua S. Proculi ad dextram:

Anno Dni. MDCXXXIV. die XXX mensis Aprilis, Ego D. Fr. *Martinus de Leon, & Cardenas Hispanus* ex sacra Religione Eremitarum Divi Augustini, Episcopus Puteolanus, inter Papæ assistentes & Regios consiliarios coeptatus, consecravi Ecclesiam hanc, quam a fundamentis erexi, & Altare majus in honorem SS. M.M. Proculi Diaconi, & Januarii Episcopi Tutelarium, & reliquias SS. M M. Januarii, Festi, Sosii, Desiderii sociorum ejus, S. Celsi Episcopi Puteolani, S S. M M. Constantii, Maximi, Vincentii Pastoris, Theophiti,

ti, Tertulliani, Vitaliani & triginta militum Martyrum in eo inclusi, & singulis Christi fidelibus hodie unum annum & in die anniversario consecrationis ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessit. Postea recurrente anno MDCXXXXVII. II. Cal. Jun. eandem iterum Ecclesiam splendidius extruxi, & tam in longiorem, quam in altiorem, ac digniorem, quam conspicis, formam redegi.

Sub statua S. Januarii ad lævam:

Urbis Liberatori, Patronoque amantissimo
DIVO IANUARIO
Qui postquam in eodem sui Martyrii loco
dicatum sibi Templum fuit
publici memor obsequii
Suos Puteolos a sepulcralibus flammis,
assiduisque telluris motibus
ardente adhuc Vesuvio MDCXXXI.
servavit immunes;
Noluit enim, tremeret solum suo firmatum
sanguine
Noluit, flagraret hospitium sui triumphi laurea
decoratum
Grati animi ergo
Hoc in sua Cathed. monimentum erexit
Idem D. Fr. *Martinus de Leon*, & *Cardenas*, summi Pontificis Assistens,
atque Catholicæ Majestatis a latere status
Consiliarius.
secunda hujus instauratione Basilicæ
Idibus Octobris MDCXLVII.

AD-

ADDIT. AD INSCRIPTIONES SACRAS.

In *Ecclesia S. Agnelli*, & quidem in *sacello familiæ de Monaco* sub Crucifixo quodam:

Anno Domini MCCC. Regnante Domino Carolo II. sacra hæc imago Crucifixi, dum pro mutuata pecunia Compatres ad invicem altercarentur, divino splendore fulgente, Verbo facti veritatem aperuit; quod alter indigne ferens, debitorem se esse negavit, durissimaque petra Imaginis faciem continuo percussit, quæ statim livore conspersa, miraculum omnibus enituit: atque sacrilegus ipse tanto crimine immobilis factus, creditoris precibus Deo fusis, iterum incolumis redactus, quamdiu vixit pœnitentiam egit.

In Sacello *Familiæ Alesiæ* ibidem:

Quæ miser imposui lugubria Saxa sepulchro,
Mi Pater, innumeris accipe pro meritis.
Quod si marmoream licuisset sumere formam,
Te Natus tegeret non alio lapide.
Incisæque notæ legerentur; *Gratus Alexis*
Reddidit ossa Patri, sitque Patri tumulus.

Ibidem:

SIGISMUNDO PAPPACUDÆ Franc. F. Tropejensium Præsuli, Viro Opt. & Jurisconsulto; qui cum in cœtum Cardinalium fuisset a Clemente VII. adscitus, maluit in Patria Episcopus vivere. Hæredes pos. Vixit Ann. 80. M. 6. D. X. Obiit 1536.

In

In *templo S. Johannis Evangelistæ* in tabulis marmoreis comparent ſequentes Inſcriptiones, familiam celebris Poëtæ *Jo. Iovii Pontani* concernentes, quas & ipſe compoſuit:

Tumulus Luciæ Filiæ.

Liquiſti Patrem in tenebris, mea LUCIA poſtquam
E luce in tenebras, filia rapta mihi es.
Sed neq; tu in tenebras rapta es, quin ipſa tenebras
Liquiſti, & medio lucida ſole micas.
Cœlo te natam aſpicio, num nata Parentem
Aſpicis? an fingit hæc ſibi vana Pater?
Solamen mortis miſeræ, te, Nata, ſepulchrum
Hoc tegit; haud cineri ſenſus ineſſe poteſt.
Si qua tamen de te ſuperat pars, Nata fatere
Felicem quod te prima juventa rapit.
At nos in tenebris vitam luctumque trahemus
Hoc pretium Patri, Filia, quod genui.

Muſæ, Filia, luxerunt te in obitu, at lapide in hoc luget te Pater tuus, quem liquiſti in ſquallore, cruciatu, gemitu, heu, heu! Filia, quod nec morienti Pater adfui, qui mortis cordolium tibi demerem: nec Sorores ingemiſcenti collachrymarentur miſellæ; nec Frater ſingultiens, qui ſitienti miniſtraret aquulam; nec Mater ipſa, quæ collo implicita, ore animulam acciperet, infeliciſſima; hoc tamen felix, quod haud multos poſt annos reviſit, tecumque nunc cubat. Aſt ego felicior, qui brevi cum utraque edormiſcam eodem in conditorio. Vale Filia: Matri frigeſcenti cineres interim caleface, ut poſt etiam refocilles meos.

Joannnes Jovius Pontanus L. Martiæ filiæ dulciss. P. quæ vixit Ann. XIIII. mens. VII. d. XII.

Pont. Pater. L. Franc. Fil. infelic.

LUCILI, tibi lux nomen dedit, & dedit ipsa
Mater stella tibi, stellaque luxque simul.
Eripuit nox atra, nigræ eripuere tenebræ,
Vixisti vix quot litera prima notat.
Hos ne dies? breve tamne tibi lux fulsit, & auræ
Maternum in nimbis sic tenuere jubar?
Infelix fatum, puer heu male felix, heu! quod
Nec puer es, nec lux, nec nisi inane quid es.
Floreat ad pueri tumulum, ver halet & urnæ
Lucili, & cineri spiret inustus Odor.

Dies L. non implesti, Filiole, breve Naturæ specimen æternus Parentum mœror ac desiderium.

In Uxorem:

Illa thori benefida Comes, custosque pudici
Cuique & acus placuit, cui placuere coli.
Quæque focum, castosque Lares servavit, & aræ
Et thura & lachrymas, & pia serta dedit
In prolem studiosa parens, & amabilis uni
Quæ studuit caro casta placere viro.
Hic posita est *Ariadna*, rosæ, violæque nitescant
Quo posita est Syrio spiret odore locus.
Urna crocum Dominæ fundat, distillet amomum
Ad tumulum, & cineri sparsa cilissa fluat.

Quinquennio postquam Uxor abiisti, dedicata prius Ædicula monumentum hoc tibi statui, tecum quotidianus ut loquerer, nec si mihi non respondes, nec respondebit desiderium tui, per quod ipsa

ſemper mecum es; aut obmuteſcit memoria, per quam tecum non loquor. Ave igitur, mea Hadriana, ubi enim oſſa mea tuis miſcuero, uterque ſimul bene valebimus. Vivens tecum vixi Ann. XXIX. D. XXIX. Victurus poſt mortuus æternitatem æternam. Joannes Jovianus Pontanus Hadrianæ Saxonæ uxori Opt. ac benemerentiſſ. P. quæ vixit Ann. XLVI. menſ. VI. Obiit Kalend. Mar. An. MCCCCLXXXX.

In ſe ipſum:

Vivus domum hanc mihi paravi, in qua quieſcerem mortuus. Noli obſecro injuriam mortuo facere, vivens quam fecerim nemini. Sum etenim JOANNES JOVIANUS PONTANUS, quem amaverunt bonæ Muſæ, ſuſpexerunt Viri probi, honeſtaverunt Reges Domini. Scis jam, qui ſum, aut qui potius fuerim. Ego vero te, hoſpes, noſcere in tenebris nequeo; ſed te ipſum, ut noſcas, rogo. Vale.

In Sacello Familiæ Coppolæ templi S. Auguſtini:

O fata præpoſtera! o miſerrimam pietatem! CLARIX RAYNALDA *Tiberii Coppulæ* Iur. *Conſ. & Cameræ Regiæ Præſidis* uxor amantiſſima, ſepultis turbato ordine VII. dulciſſimis infantibus filiis, poſthabito paterno tumulo, ſimul cum iis ſepeliri voluit: Et materni amoris officium, quod viventibus maluiſſet, ſaltem in communi ſede cineribus paranda exiguum doloris ingentis ſolatium præſtaret. MDLXXXXI.

In

In templo S. Dominici Majoris:

PORTIA CAPYCIA, viva gaudium, mortua mariti gemitus, hic sita est. *Bernardinus Rota* Thesaurum suum condidit. Fecit nolens: Fecit, nec mori potuit. Rapta est e sinu Charitum MDLIX. discessit, non decessit. Infelix ille, qui mortua Portia, vivus cum ea sepeliri debuit. En simul hic fingi pertulit, ut quando aliter nequit, saltem marmore conjuge frui liceat. Lugete Musæ interim. Abiit, non obiit.

In *Monasterio S. Mariæ Magdalenæ:*

Castitatis ara est hæc
ornatissima spolia erepta libidini
triumphato fomite
Beatæ Mariæ Magdalenæ
laureatus pudor suspendit:
Pudicitia
Gratias agit innumeras excellentissimæ
ELEONORÆ MARIÆ GUSMAN
Montis Regii Comiti Neapolitanæ Pro-Reginæ.
Optima Heroina
Novas sedes ampliores extruxit,
Vestem, annonam indies suffecit;
rem totam familiamque diligenter curavit:
Mulieres Hyspanæ ab Hera, ad aram traductæ
Monumenti ergo posuere
An. Dom. cIↃ IↃ CXXXIV.

In *loco quodam*, ubi *hostia sacrata projecta fuerat in marmore:*

CAROLO II. HYSPANIARUM REGNANTE

Mariamna Matre, Tutrice ac Regina
D. Antonius Petrus Alvarez Osſorius
Regni Pro-Rex
Auſtriacæ in Euchariſtiam pietatis
obſequentiſſimus æmulator
projectas hic ſacrilege ſacri placentulas convivii
demiſſo veneratus animo
mutum hunc lapidem, vocalem poſteris
execratorem ſceleris, indicem Religionis
P.
Anno ſalutis Humanæ MDCLXXII.

ADDIT. AD INSCRIPT. PROFANAS.

In *Fonte ad arcem novam e regione Portæ:*
PHILIPPO IV. Rege
Sileat Græcia fama jam minor
Illius equus unum protulit vatibus fontem
ut tot canerent Duces.
Parthenopeus equus uni Hyſpano Eroi
Plures ubique pene reliquit expreſſas pedis notas
quia ubique invenit expreſſa veſtigia meritorum
D. Innici Guevara & Taſſis Com. de Onnatte
& Villa Mediana Regni Pro-Regis.
Iuxta arcem maxime ſcaturire fons debuit,
ut illum exprimeret unde regni ſecuritas fluxit.
Diſce, quisquis hauris, te quoque in ejus laudes
effundere.
Parthenope aſſertori ſuo ac vindici
P.
Anno Sal. MDCLII.

In *Via quadam ad marginem maris:*

PHILIPPO IV REGE CATHOLICO
D. Innicus Velez de Guevara & Taſſis
Comes de Onnatte & Villa Mediana
Pro-Rex
hanc aperuit viam
qui felici pacis & concordiæ triumpho
juſtitiæ, paci & publicæ quieti hujus regni
viam aperuit,
perviam Civili commodo ex invio angulo
plateam hanc fecit,
qui famis anguſtià laborantem populum
mirabiliter refecit.
Præfecti ſunt alii, ut gubernarent regnum,
præfectus eſt hic, ut ſtabiliret regnum, quod
gubernaret;
nec mirum, quod occluſam greſſibus expedierit
viam.
Plus eſt, quod civium animis
pacis & proſperitatis viam
aperuit, munivit, ſervavit
ſagaci induſtria,
fœlici indulgentia,
mirabili virtute.

Sub ſtatua Nili:

Vetuſtiſſimam Nili ſtatuam vides,
at capite nuper auctam non ſuo:
Hoc ſcilicet Nili fatum eſt
ſuum quod occulat caput
alieno ſpectari;
ne tamen obſervandum antiquitatis monumentum

 quod

quod proximæ Nobilium ſedi nomen fecit,
ſtatuæ truncus jaceret ignobilis
elegantiori exornatum cultu
Urbani Ædiles voluerunt
anno D. MDCLVII.

Sub *ſtatua Jovis terminalis prope Armamentarium:*

Siſte Viator,
& vetuſtum Jovis Terminalis buſtum contemplare,
quod cœnoſo loco eductum
Petrus Antonius Aragon
Segorbiæ & Cardonæ Dux,
hujus regni Pro-Rex,
poſt aucta Judicibus ſtipendia,
pauperes hoſpitio coercitos,
armamentarium inſtructum,
prætoriana caſtra ædificata,
Bajanos fontes repurgatos,
navibus ſtationem effoſſam,
templa aſceteria excitata,
ſubjectamque viam penſili tramite
leniter productam
Fontibusque fœcundam
huc pro tantorum operum coronide
transferri juſſit.
Tu nunc, & perenne juvandi ſtudium
a fabuloſo Numine
in optimi Principis genium
æquius, veriusque transferto
anno MDCLXX.

Inſcriptio portarum Gymnaſii:

PHILIPPO III. REGE

D. Pe-

D. Petro Ferdinandez de Castro Lemens. Com.
Pro-Rege
descripta olim alendis equis area
grandiore Musarum fato
erudiendis destinatur ingeniis.
Vera jam fabula
equina effossum ungula sapientiæ fontem.

CAPUA.

In Muro Urbis:

PHILIPPO IV. Rege
Romano quondam parem imperio
lumen, columenque Campaniæ
Martæ, opibus, copiis diu florentem
CAPUAM,
vicissitudine collapsam deterrima,
cassam munimentis, nudatam subinde muris,
hostesque prope insultantes contemplatus
Emanuel Fonseca, & Zunica Com. Mont. Reg. VII.
consilia antevertens belli
suoque, futuroque præcavens ævo
refectis mœnibus, structisque propugnaculis
si minus pristinæ magnitudini
pristinæ restituit munitioni.
Anno salutis hum. cIↃ IↃ CXXXVI.

Ad statuam in foro:

KAROLO II. REGI CATHOLICO,
Philip. IV. Filio, Philip. III. Nepoti, Philip. II.
Pronepoti Karoli V. Cæsaris Abnepoti
avitæ generositatis hæredi,

propagatori gloriæ,
anno regiminis sui primo impleto
jam vota implenti omnia Monarchiæ
simul & spem aurei seculi revocanti.

Ordo Populusque Capuanus
Devotus Numini, Majestatique ejus
statuam in foro marmoream
adorabundus posuit
mansuram priscæ fidelitatis suæ testimonium
Austriaci Sceptri perennaturi auspicium,
VIII. Id. Novemb. Ann. Sal. MDCLXXVI.
D.D. Ferdinando Joachimo Fraxardo
Requesens, & Zunica
Marchione Veletium
Pro-Reg. Neapol.
D. Josepho de Ledesm. Reg.
ad D. Claræ Reg. Neap. Consiliario
& Civitatis Capuanæ Regio Gubernatore
Auroram optato faciunt
hæc lumina sæclo.

In templo S. Eligii:

D. O. M.
PAULINO BOTTONIO;
Medico præclarissimo,
& omnibus doctrinis exculto,
a quo vivo funus nullum
ut ab eo mortuo omnium luctus
Senatus Populusque Campanensis
Civi benemerentissimo

Anno salutis MDCXL.
ætat. s. LXII.

INSRIPTIONES PROFANÆ.

Supra portam horti amœnissimi Vice-Regis Neapol. *Puteolis*:

PETRUS TOLEDUS, *Marchio Villæ Franchæ*, Caroli V. Imperat. in Regno Neap. Vicarius, ut Puteolanus ob recentem agri conflagrationem palanteis ad pristinas sedes revocaret, hortos, portus, & fontes marmoreos ex spoliis, quæ Garsia filius parta victoria Africana reportaverat, otio genioque dicavit, ac antiquorum restaurato, purgatoque ductu, aquas sitientibus Civibus sua impensa restituit. Anno a partu Virginis MDXL.

Non procul Puteolis prope *templum Sti Jacobi* vides loco cuidam *Amphitheatri S. Colisei*, in sacelli nunc formam redacto, inscriptum sequens:

In hoc Amphitheatro
Quod quæritur non est,
quod non est, quærebatur.
Ut Fideles inveniant
Fr. Dominicus Maria Marchesius Ordin. Præd. Put. Antist.
Carcerem pervetustum
Beatorum M M. Jan. Proculi & Sociorum
Antiquitate clausum devotioni aperuit.
Meliora non est passa antiquitas,
Nec melius Martyres invenerunt
Deficeret Put. antiquitati

ſi ſacra occluſa non patefierent
Religioſus Epiſcopus pro Religione hoc debuit;
Dum
Gentilium fragmenta exſtant, ſacra integra
perſeverant.
Venerare
Sanctam antiquitatem noviter inventam
Indulg. 40. dierum ab eodem Antiſtite auctam
1689.

Reperta ſunt aliquot ante annos *rudera marmorum* in templo *St. Jacobi* cum his duabus inſcriptionibus:

Pro ſalute
Imp. Cæſaris Titi Ælii
Hadriani Antonini Aug. Pii P P. &
M. Ælii Aurelii Cæſaris N.
Genio Coloniæ Puteolanorum
Chryſanthus Aug. Diſp. a frumento
Puteolis, & hoſtis
L. D. Decurionum permiſſu.

Felicitati perpetuæ temporis
D. N. Valentiniani
Victoris ac triumphatoris
Semper Aug.
Avianus Valentinianus
V. C. Conſul Campaniæ
Devotus Numini
Majeſtatique ejus.

Sub *ingreſſum Portæ Puteolanæ:*

Imp. Cæſar Divi Hadriani Fil.

Divi

Divi Trajani Parthici Nepos,
Divi Nervæ Pronepos, T. Ælius
Hadrianus, Antoninus Aug. Pius
Pont. Max. Trib. Pot. II. Cos. II.
Desig. III. P P. Opus Pilarum vi.
Maris conlapsum a Divo Patre suo promissum restituit.

Infra hanc inscriptionem reperitur adhuc sequens:

Quem lapidem ANTONINUS Imp. statuerat, vetustas dejecerat, mare atque arena obduxerant, *Franciscus Murillus* Regiæ Classis Curator sua impensa eductum Puteolanis municipibus pari studio restituit. A. D. MDLXXV.

Inscriptiones tres, præmissæ *descriptioni balneorum Puteolanorum*. *Prima* reperitur sub ingressum *antri*, *di Coccejo*, sive *di Pozzoli* dicti, & est sequentis tenoris:

Quisquis es, sive indigena, sive advena, sive convena, ne insolitus prætereundo horribile hoc antrum, in phlegræis Campanis campis naturæ obrigescas portentis, vel humanæ temeritatis obstupescas prodigiis. Siste gradum, lege: nam stupori & admirationi assuesces. Neapolitanæ, Puteolanæ, ac Bajanæ telluris balnea, ad morbos fere omnes profligandos experta, apud omnes olim gentes, apud omnes ætates celeberrima, hominum incuria, Medicorum invidia, temporis injuria, incendiorum eruptione dispersa, confusa, diruta, obrutaque hactenus adeo fuere, ut vix eorum unius aut alterius incerta superessent vestigia. Nunc Caro-

Carolo II. Austriaco regnante, Petri Antonii Aragonii Regni Pro-Regis vigilantia, charitas, providentia, pietas, investigavit, distinxit, reparavit, restituit: siste adhuc paulisper & substrati lapidis in literas intuere, balneorum enim loca, nomina & virtutes habebis, ac lætior abibis P. P. A. D. MDCLXIIX.

Secunda collocata est in loco publico *Petri Toletani* in suburbio Puteolano, prope Monasterium S. Andreæ:

Carolo II. Austriaco Regnante, Providentia Petri Antonii Aragonensis Pro-Regis Neapoli, egenis hospitio, naufragis portu, hic infirmis, restitutis thermis subvenit; sic una pietas triplici flagello triumphat. Salubritatem sitientes, ad has aquas, trans Puteolos manantes, accurrite, quarum virtutes in substrato lapide contractæ, in volumine Thermologiæ Aragoniæ a Sebastiano Bartolo elucubrato, & Neap. impresso Anno Domini M DCLXIIX. plenius leguntur.

Tertia legitur supra *Sudatoria Tritolana*, in Via ad Bajas.

Semitæ
In subjecti pelagi lubricitate,
Furto ab Hercule aggeratæ,
Lucro a Cæsare Dictatore reparatæ,
Ostentationi ab Agrippa restitutæ,
Æstibus ejusdem pelagi disjectæ.
Hanc
Carolo II Rege
In hujus montis firmitudine,

Ho-

Hominum salubritati restitutis Thermis.
Petrus Antonius Aragonius
substituit,
Quæ
Prudentiori excogitata Hercule,
Meliori destinata usui,
Nec Cæsares expectabit, nec Agrippas.
Per Aragoniam viam
Iter perge Viator ad Bajas,
eæ enim non luxui thermas
sed saluti paratas exhibent,
marmor quas suppositum docet.
P.P.A. MDCLXIIX.

Conspicitur adhuc prope Neapolim *Sepulchrum Virgilii Maronis*, in formam Mausolei erectum, myrtis ac hedera, quæ sponte ibi nascuntur, tectum. Ad quod allusit *Petrus Antonius de Aragonia*, Neapolis Vice-Rex sequentibus distichis, quæ sub antri ingressum reperiuntur:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, Duces.
Ecce meos cineres tumulantia saxa coronat
Laurus, rara solo, vivida Pausylini.
Si tumulus ruat, æternum hic monumenta Maronis
Servabunt lauri, lauriferi cineres.

In pede montis Vesuvii vides villam aliquam voluptuariam, *Leucopetra s. Pietra bianca* dictam, superque palatii hujus portam primariam sequentem hanc inscriptionem:

Hospes, si properas, non sis impius. Præteriens hoc ædificium venerator. Hic enim Carolus V. Rom.

V. Rom. Imper. debellata Aphrica veniens, triduum in liberali Leucopetræ gremio consumsit, florem spargito, & vale. MDXXXV.

Super *Arethusam illam marmoream nudam* antri modo dicti Palatii, fonte conchiliisque marinis ornati:

Quæ modo Tyrrhenas inter celeberrima Nymphas,
 Et prior ante alias forma Arethusa fui.
(Proh dolor) in gelidos dum flagro versa liquores,
 Narcisi ingrati duritie hic lacrymo.
Haud procul hinc surgens substructo fornice terras
 Chratidis ad magni nobile labor opus.
Hic mihi de conchis posuit fulgentibus antrum,
 Najadum propter, Nereidumque domos.
Hujus ego æternum tanto pro munere nomen,
 Quam possum blando murmure testor aquæ.

In memoriam ignivomitus Vesuvii anno 1631. facti, in *monumento marmoreo*, quod in viculo Pedismontis, *Resina dicto* conspicitur, cælatum est sequens:

Posteri, Posteri, vestra res agitur. Dies facem præfert diei. Nudius perendino. Advertite. Vicies ab satu solis, ni fabulatur Historia, arsit Vesuvius, immani semper clade hæsitantium; ne posthac incertos occupet, moneo. Uterum gerit Mons hic, bitumine, alumine, ferro, sulphure, auro, argento, nitro, aquarum fontibus gravem: serius, ocyus ignescet, pelagoque influente pariet; sed ante parturit. Concutitur, concutitque solum; fumigat, coruscat, flammigerat, quatit aërem,

aërem, horrendum immugit, boat, tonat, arcet finibus accolas. Emigra dum licet. jamjam enititur, erumpit, mixtum igne lacum evomit; præcipiti ruit ille lapsu, feramque fugam prævertit. Si corripit, actum est, periisti. Anno Sal. MDCXXXI. Kal. Jan. Philippo IV. Rege, Emanuele Fonsega, & Zunica Comite Montis Regii Pro-Rege (Repetita superiorum temporum calamitate, subsidiisque calamitatis, humanius, quo munificentius) formidatus servavit, spretus oppressit incautos & avidos, quibus Lar, & supellex vita potior; Tum tu, si sapis, audi clamantem lapidem, sperne larem, sperne sarcinulas, mora nulla, fuge. Antonio Suares Messia, Marchione Vici, Præfecto viarum.

ROMA.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

Supra portam majorem templi Vaticani:

PAULUS V.
Pont. Max.
Vaticanum templum
a Julio II. inchoatum
& usque ad Gregorii & Clementis
sacella
assiduo centum annorum
opificio productum
tantæ molis accessione
universum Constantinianæ
Basilicæ ambitum includens

Con-

confecit
Confeſſionem beati Petri exornavit
Frontem Orientalem & porticum
exſtruxit.

Supra portam ejusdem templi ad latus lævum:

URBANUS VIII. PONT. MAX.
Vaticanam Baſilicam
a Conſtantino Magno exſtructam
a beato Silveſtro dedicatam
in ampliſſimi templi formam
religioſa multorum Pontificum
magnificentia
redactam
ſolemni ritu conſecravit
ſepulchrum Apoſtolicum
ærea mole decoravit
Odæum aras & ſacella
ſtatuis & multiplicibus operibus
ornavit.

Supra portam ad dextram:

Baſilicam Principis Apoſtolorum
in hanc molis amplitudinem
multiplici Romanorum Pontificum
ædificatione perductam
INNOCENTIUS X. PONT. MAX.
novo cælaturæ opere
ornatus ſacellis
interjectis in utraque templi ala
marmoreis columnis
ſtrato e vario lapide
pavimento magnificentius terminavit.

In ipſo templo prope ingreſſum ad dextram *vides lapidem quadratum, paululum oblongum*, columnæ infixum, ſuper vas luſtrale, his inciſis verbis:

Super iſto lapide
multa corpora Sanctorum
martyrio cæſa ſunt.
Erat in veteri baſilica ad
lævam portæ juxta
ſacellum ſanctiſſimi
ſudarii anno MDCVI.

In altero ejuſdem columnæ latere *buſtum cupri exquiſitiſſimi inauratum Reginæ Chriſtinæ*, circa quod hæc verba: CHRISTINA ALEXANDRA D. G. *Suecorum*, *Gothorum*, *Vandalorumque Regina:*

Infra:

CHRISTINÆ SUECORUM REGINÆ
ob orthodoxam Religionem abdicato Regno
abjurata hæreſi
pie ſuſceptam ac dilecta Romæ ſede eximie cultam
monumentum ab Innocentio XII. inchoatum
Clemens XI. abſolvi curavit
MDCCII.

Prope hanc columna apparet in alia *effigies marmorea famoſa illius Comitiſſæ Mathildis*, cum hac inſcriptione.

URBANUS VIII. PONT. MAX.
COMITISSÆ MATHILDI virilis animi fœminæ
ſedis Apoſtolicæ Propugnatrici
pietate inſigni, liberalitate celeberrimæ

Huc ex Mantuano Sanct. Benedicti
Cœnobio translatis ossibus
gratus æternæ laudis promeritum
mon. pos. ann. MDCXXXV.

Ex adverso in alia columna *monumentum Leonis XI.*

LEONI XI. Medici Florentino *Pont. Opt. Max.*
Qui ad summam Ecclesiæ DEI felicitatem
ostensus magis quam datus
Christianum orbem brevi XXVII. dierum lætitia
& longo annorum mœrore complevit
Robertus Cardinalis Ubaldinus ex sorore pronepos
grati animi monumentum p.
obiit anno ætatis suæ LXIX quint. Kal. Maji
A. MDCV.

Aliud *Pontificis Innocentii VIII.* antecedenti vicinum:

INNOCENTIO VIII. CYBO PONT. MAX.
Italicæ pacis perpetuo custodi
novi orbis suo ævo inventi gloria
Regi Hispaniarum Catholici nomine imposito,
Crucis sacrosanctæ reperto titulo
Lancea, quæ Christi hausit latus
Bajazethe Turcarum Tyranno dono missa
æternum insigni
monumentum e vetere Basilica huc translatum
Albericus Cybo Malaspina
Princeps Massæ
Ferentilii Dux, Marchio Carrariæ, &c.
Pronepos

orna-

ornatius auguſtiusque poſuit anno Dom.
MDCXXI.

Et *paulo infra:*

Innocentia mea ingreſſus ſum, redime me Domine, & miſerere mei.

In templo ſubterraneo Baſilicæ Vaticanæ:

D. O. M.

Oſſa. vetera. una. cum. tumulo. ubi. olim.
compoſita. diuque. ſervata. ſunt.
vetuſtate. pene. corroſo.
Alophii. Vignacourt. magni. Hieroſolymitani.
Ordinis. Magiſtri. obſecutus.
imperio. &. pietati ſuæ.
Fr. Franciſcus. Lomellinus. Sancti. ſepulchri.
Commendatarius.
ejusdem. Religionis. apud ſanctam ſedem.
Orator.
e. veteris. Templi. ruderibus. in. novam.
Baſilicam. inferri. atque. in. priſtinam. formam.
redigi. curavit.
Anno. fundatæ. ſalutis. M. D. C. X.

Fr. Raymundus. Zacoſte. Magni. Ordinis. Hieroſolymitani. Magiſter.
Anno MDCLXVII die XXI. Februarii.

Inſcriptiones octo, quæ comparuerunt in apparatu funebri Pontif. CLEMENTIS XI. anno proxime elapſo defuncti, quod in ipſius memoriam erectum erat in Baſilica Vaticana. Priores quatuor Autorem agnoſcunt Dominum *Fontanini*,

Pontifici a cubiculis honorariis, quatuor autem posteriores, Dominum *Bortoni*, eidem Pontifici ab eleemosynis secretis.

1.

CLEMENS. XI. PONT. MAX.
Hoc. vultu. majestatis. pleno.
Omnium. oculos.
in. se. convertit.
sed. animo. nihil. augustius.
Ore. nihil. suavius.
Exemplo. in. tanta. dignitate. admirando.
Quod. Christi. Vicarium. maxime. decet.
Omnibus. præfuit.
Omnibus. se. æquavit.

2.

CLEMENTI. XI. PONT. MAX.
Liberalium. artium. reparatori. beneficentissimo.
Pictura. &. sculptura.
Templorum. sacram. majestatem.
Operum. publicorum. pristinum. decus.
Æternum. gratulabuntur.

3.

CLEMENTI XI. PONT. MAX.
Quod. sacros. mores. disciplinamque.
Caste. retinuerit.
Cælitum. aras. auxerit.
sanctioribus. Musis. pene. intermortuis. spiritum.
reddiderit.
Religio. atrata. M. P.

4

CLEMENS. XI. PONT. MAX.
Cœlo. redditus.
Non. te. deſerit. urbs. æterna.
Illinc. Petri. naviculæ. fortius. excubans.
Te. placido. lumine. reſpicit.

5.

CLEMENTI XI.
P. O. M.
Qui.
Tam. ſublimis. dignitatis. faſtigium.
ſumma. virtutum. omnium.
Præſtantia.
&. rerum. præclare. geſtarum.
Mole.
exæquavit.
ſuprema.
Eccleſiæ mœrentis
officia.

6.

Veræ. pietatis.
ſanctioris. diſciplinæ.
bonarum. artium.
Vindicem inſtauratorem. Patronum.
beneficentiſſimum.
Juſtis. Religio.
Lacrymis boni omnes
proſequuntur.

7.

Supremam. poteſtatem.

quam.
Meritis. ſpectatiſſimis.
anteverterat.
rara. animi moderatione.
refutavit.
invitus. ac. reluctans.
ſuſcepit.
Ita
CLEMENS XI.
In. ſumma temporum. aſperitate.
Vigili. ſemper. cura.
Nunquam. intermiſſis. laboribus.
Quocumque. ſolutus. affectu.
geſſit.
Ut. ſe. eam.
Publicæ. tantum. utilitatis. cauſa.
ſuſcepiſſe.
luculentiſſime. comprobaret.

8.

CLMENTE. XI.
Pontifice. Maximo.
Clementia. ipſa.
In. Pontificio. Throno. viſa. eſt.
conſediſſe.
Decora. & verenda. comitas.
imperare.
ſed. quid. ſeveritate. uteretur.
Cui.
ad. morum. cenſuram. innocentiamque.
revocandam.
ſola. ſuæ. ipſius. vitæ. exempla.

ſatis.

satis, superque. esse.
potuere.

in *loculo plumbeo* hujus Pontificis cælata erant sequentia:

CLEMENS XI. P. O. M. alias dictus *Johannes Franciscus Albani*, Urbinus, obiit die 19. Martii Pontif. XX. 3. mens. 26. dies ætat. 71. 7. menses. 27. dies.

In Basilica Lateranensi Monumentum Card. Rasponi:

D. O. M.
CÆSARI S.R.E. CARDINALI
RASPONO,
Franc. & Claricis Vainæ Filio,
qui Apostolicus Legatus
bello composito
ab Urbe fame & peste depulsa
inter terrarum negotia nactus otia
Lateranensis Ecclesiæ
eruditissimam scripsit historiam
Annalium ipse materia
omnibus virtute charus.
Purpuram ab Alexandro VII. acceptam
decennio ornatam
cum vita exuit
An. MDCLXXV. mense Novemb. die XXI.
Quantum res Catholica debeat
hæres ex asse relictum hospitium
ab hæresi ad orthodoxam fidem
Romæ convertendorum
gratum hoc ornatu sepulchri

quod ille vivens sibi matrique posuerat
testatum voluit posteritati.

Ibidem:

D. O. M.
Josepho Caesari Arpinati
Equiti S. Michaëlis
qui summis Pontificibus & Regibus carus
vitae lineis actae laudabiliter
virtutem in se
lineis vero picturae elegantiam naturae omnem
in tabulis ad miraculum expressit
Romamque sparso felicius colore quam cruore
docuit pugnare rursus
vincere atque in Capitolio triumphare.

Merenti trophaeum sed morienti
Dorothea Maggi ejus conjux
Mutius Bernardinus Flavius
filii moerentissimi
tumulum
hic in Basilica Lateranensi
posuerunt.
Vixit annos LXXII. mens. IV.
obiit an. sal. MDCXL.

Ibidem extra Basilicam ad arcam sepulchralem Helenae Augustae:

DIVAE HELENAE AUGUSTAE
Magni Constantini Matris
sepulchralem hanc porphyreticam arcam
jamdiu ex ipsius Mausoleo via Lavicana
in hanc sacrosanctam Basilicam

ab

ab Anaſtaſio quarto summo Pontifice
ad proprii monumenti uſum translatam
& injuria temporum undique diruptam
ac penitus disjectam
ne tantæ Patronæ
de eadem Baſilica optime meritæ
memoria deperiret
Capitulum & Canonici reſtituere.
Anno ſalutis MDIX.
& hic repoſuere MDCXCV.

In templo S. Mariæ Rotundæ;

D. O. M.
RAPHAELI SANCTIO Joan. F. Urbinat.
Pictori eminentiſſ. veterumque æmulo
cujus ſpiranteis prope imagineis
ſi contemplere
naturæ atque artis fœdus
facile inſpexeris
Julii II. & Leonis Pontt. Maxx.
Picturæ & Architect. operibus
gloriam auxit
V. A. XXXVII. integer integros
quo die natus eſt eo eſſe deſiit
VIII. Id. April. MDXX.
Ille hic eſt RAPHAEL timuit quo ſoſpite vinci
Rerum magna Parens & moriente mori.

Ut videant Poſteri oris decus & venuſtatem
cujus gratiam mentemque cœleſtem
in picturis admirantur
RAPHAELIS SANCTII Urbinatis

Pictorum Principis
in tumulo ſpirantem ex marmore vultum
Carolus Marattus,
tam eximii Viri memoriam veneratus
ad perpetuum virtutis exemplar
& incitamentum
P. Anno MDCLXXIV.

Ibidem:

D. O. M.
ANNIBAL CARACCIUS
Bononienſis
hic eſt
Raphaeli Sanctio Urbinati
Ut arte, ingenio, fama, ſic tumulo proximus
par utrique funus & gloria
diſpar fortuna
æquam virtuti Raphaël tulit
Annibal iniquam,
diſceſſit die XV. Julii MDCIX.
æt. XXXXIX.
Carolus Marattus ſummi Pictoris
nomen & ſtudia colens
P. An. MDCLXXIIII.

Arte mea vixit natura & vivit in arte
Mens decus & nomen cœtera mortis erant.

Ibidem adhuc:

D. O. M.
FLAMINIO VACCÆ
Sculptori Romano
qui in operibus quæ fecit

nus-

nusquam sibi satisfecit.

Aliud Ibidem:

D. O M.
Bartholomeo Barronio Casalen.
Montiferrati Architecto celeberrimo impia
morte prevento anno etatis sue XLIII.
die VI. Septemb.
MDLIIII.
Bartholomeus & Jo. Franciscus
Fratres posuerunt.

In Sta Maria, Ara Cœli dicta:

Hic in pace quiescit
CATHERINA SEGUSI DE RUBEIS,
Eximiæ pietatis & sanctimoniæ speculum
Veneta vivens claruit origine
Virtutum clarior splendore
ætatis suæ anno XXXXVII. decessit.
Nec tamen vivere destitit
Deiparæ, quam mirifice coluit
Prope sacrarium in hac Ara cœli
sicuti concupierat
adorans & adhuc orans decumbit
nunquam satis deplorata
a *Johanne de Rubeis* Veneto mœstissimo Conjuge
qui
carissimæ uxori sibi tumulum hunc
excitavit
exspectans & ipse diem resolutionis suæ
Ut
spiritus cœlo uniantur,

jun-

jungantur ossa sepulchro;
ad nihilum enim valent ultra
nisi ut conculcentur ab hominibus.
Obiit illa die XVIII. Jan. anno Domini 1709.
Ipse vero die Anno ætatis suæ
Requiem æternam da ei Domine.

Ibidem:

Sedente Paulo II.
LUDOVICUS DE SEBRETTO Regius sanguis
Sanctorum Petri & Marcelli Presbyter
Cardinalis nobilitate animi innocentia
& fide præclarus sacri Apostolici Senatus
amor & delitiæ hoc monimento conditus est.
M CCCC LXV. die IIII. Septembris.

In *Sta Maria degl' Angeli* ad thermas Diocletianas; dicta *la Certosa.*

Epitaphium Cardinalis ALCIATI:
Virtute vixit
Memoria vivit
Gloria vivet.

Epitaphium Cardinalis PARISII:
Corpus humo tegitur
Fama per ora volat
Spiritus astra tenet.

In *prima columna magna ad dextram:*

D. O. M.
JULIUS CÆSAR LAGALLA *Lucanus*
Comes Palatinus & Protonotarius Apostolicus
totos annos XXXII. doctrinam Aristotelis
publi-

publice in hac urbe professus
intelligens
Philosophiam esse meditationem mortis
hic locum humando corpori
ut animus piorum precibus juvetur
vivens elegit
anno suæ ætatis LII.
MDCXXIII.
Obiit XVI. Kal. Mart. MDCXXIIII.
Γειτονα κυκνος λεισεμοςον πελε δεςτοναοιδη.

Ibidem *ad sinistram in pariete* infra bustum nivei marmoris:

D. O. M.
SALVATOREM ROSAM, Neapolitanum,
Pictorum sui temporis
nulli secundum
Poëtarum omnium temporum
Principibus parem
Augustus filius
hic mœrens composuit
sexagenario major obiit
Anno Salutis MDCLXXIII.
idibus Martii.

Huic e regione *aliud bustum* etiam *ex marmore albo:*

D. O. M.
CAROLUS MARATTI Pictor
non procul a Lauretana domo
Camerani natus
Romæ institutus & in Capitolinis ædib.
Apostolico adstante Senatu

Cle-

Clementis XI. P. M.
bonarum artium restitutoris
munificentia
creatus eques
ut suam in virginem pietatem
ab ipso natali solo cum vita haustam
ac innumeris expressam tabulis
quæ gloriosum ei cognomentum
compararunt
mortalis quoque sarcinæ deposito
confirmaret
in hoc templo eid. Angelorum Reginæ sacro
monumentum sibi vivens posuit
Anno MDCCIV.

Supra *portam primariam templi St. Laurentii in Lucina*:

D. O. M.
Sacrum hoc DIVO LAURENTIO templum
a B. LUCINA vid. Matrona Romana
excitatum
a D. GREGORIO ad votivam supplicationem
delectum,
a *S. Benedicto II.* restitutum
a *Cœlestino III.* pompa celeberrima
consecratum
a *Paulo V.* plura post secula
religioni Clericorum Minorum attributum,
evecto fastigio sacellis dispositis
Sanctorum simulacris expressis
quorum corpora reliquiasve recondit
laqueari demum superinducto

exor-

exornatur
Anno Jubilæi MDCL.

In columna quadam templi Sti Ludovici ad sinistram:

D. O. M.
ARNALDO OSSATO Gallo
S. Eusebii Presb. Card. Ep. Boiocen.
qui omnium per multos annos
Gallicanorum in urbe negotiorum
consiliorumque particeps & Minister
rarissimæ in Reges suos fidei
egregiorumque meritorum testimonio
sacra purpura ornatus
amplissimi ordinis dignitatem
ea sapientiæ integritatisque fama
eaque officiorum in omnes propensione
cumulavit,
ut sui desiderium exteris quoque nationib.
cum admiratione reliquerit
vixit annos LXVII. menses VI. dies XX.
decessit prid. id. Mart. cIↄ Iↄc IX.
Petrus Bossu Lugdun. Cubic. Præp. a secretis &
Renatus Courtin. Andeg. a cubic. item & secret.
ex trientibus hæredes
Patrono optimo & indulgentiss. S. P. P. C.

Ibidem :

D. O. M.
CLAUDIO PUTEANO
Coruleti Moninii
in Biturigib. Domino

Bel-

Bellosagiæ Baroni
Equiti Ordinis Regii
Spectatæ virtutis
& integritatis Viro
Joanna Filia unica
Patri unice Karo f. c.
vixit a. XLII.
obiit Romæ III. Non. Febr.
cIↄ Iↄ LXXVII.

Ad *lævam in pariete marmori nigro insculptum*, & quidem *in templo Mariæ Majoris*:

M. ANTONIUS PICCOLOMINEUS Nob. Sen. hujus Basilicæ Canonicus, comitate omnibus carus, fortunæ lusus pertæsus, & se mortalem sentiens, hic se condi jussit, & sibi vivens posuit An. Sal. M D LXXVI. vixit an. MD.- vivere desiit ann. Sal.

Non procul ab hoc *lapidi marmoris nigri humi incisum*:

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum ALEXANDRUM Pontificali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio.

Obiit VI. Id. Febr. rep. sal. Anno MDCXXI. ætatis suæ LXXVII. m. IX. d. XXVIII.

Ad dextram *in pariete* itidem in *marmore nigro*:

JO. PETRO MORETTO Rom.
Philos. & Medico Collegii Archiatrorum
olim Priori & Proto-Medico Gen.

qui

qui post XLII. an. in sacro Archiospitali
S. Salvat. ad Sancta Sanct. Medici munus
peractum honorifice jubilatus
consenuit
in hac Sacrosancta Basilica tres
perpetuos Cappellanos instituit, binasque
puellas dotali subsidio singulis
annis juvari
bibliothecam suam copiosa collectione
in Minimorum cœnobio publico studior.
usui perpetuo censu addicto conservari
& augeri attribuit
ita pius in Deum profusus in pauperes
officiosus in amicos beneficus in omnes
sui desiderium reliquit.
Vixit ann. LXXIII. men. V. dies V. obiit V.
Idus Decemb. MDCXXXXVI.
Custodes Archiospit. S. Salvat. ad Sancta
Sanct. ex asse heredis
& Plautilla Boria uxor usufruct.
P. C.

Ad latus alterum hujus templi prope altare minusculum marmori nigro incisum:

CONSTANTINO PATRITIO Romano
Adolescenti ab indole
atque a morum laude inclyto
cui dum sponsæ thalamus paratur
tumulus mortis patuit
face nuptiarum funere immaturo
extincta.
Catharina Pinella

Parens mœstissima
insolabiliter superstes posuit.
Vixit annos XX.
menses novem dies II.
obiit Ann. Sal. MDCXLV.

In eodem templo:

D. O. M.
GUIDO FERRERIUS Tit. SS. Viti & Modesti
S. R. E. Presbyter Card. ut vivens viventi Patruo
Petro Francisco Card. & dignitate & voluntate
conjunctus fuit
ita moriens corpore ab illo abesse noluit,
cum quo etiam summa Dei benignitate fretus
celesti
ac sempiterna felicitate
se fruiturum
sperat.
Obiit die XVI. Maji MDLXXXV.

Ibidem:

D. O. M.
PROSPERO SANTA CRUCIO,
S. R. E. Card. Episc. Albanen.
qui ob eximias animi ingeniique virtutes
post primaria Palatina officia &
Ecclesiasticas dignitates
a Pio IV. P. M. Card. creatus
Legationib. Germanica Lusitanica
Hispanica & Gallica bis flagrante
intestino bello provincia egregia cum
laude functus maximisque toto vitæ

cursu

cursu pro Rep. susceptis laboribus
obiit æt. an. LXXVI. sal. M D LXXXIX.
Marcellus
Sanctacrucius
Valleri f. ex fratre Nep.
posuit.

Ibidem supra monumentum *Baptistæ Platinæ*, Historici sui temporis famosissimi:

Quisquis es, si pius, Platinam & suos ne vexes,
Anguste jacent, & soli volunt esse.

Extra templum ad latus lævum sub arca marmorea pervetusta parieti porticus incisa:

Card. ANTONIO BARBERINO Archipresb.
Arcam marmoream
quam Christianorum pietas exsculpsit
laborante sub Tyrannis Ecclesia
ut esset loci sanctitate venerabilior
Franciscus Gualdus Arimin. Miles S. Stephani
e suo musæo huc transtulit M D C X X X.

Supra portam majorem templi SS. Apostolorum intus literis aureis:

Habens fundamenta XII.
& in ipsis nomina XII. Apostolorum.

In ipso templo *loculus lapideus* omnibus destitutus ornamentis, cruce insignitus, cum hac inscriptione:

FLAMINIA BORGHESIA ODESCHALCHI,
Sirmii & Brachiani Ducissa.

Prope hunc *alius minor*, hac ſolummodo ornatus epigraphe:

PAULA FLAMINIA ODESCHALCHI.

Ibidem:

BESSARIO *Epiſcopus Thuſculanus*
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis
Parriarcha Conſtantinopolitanus
nobili Græcia ortus oriundusque
ſibi vivens poſuit
anno Salutis MCCCCLXI.

Aliud ibidem:

D. O. M.

LUCIO MANCINO egregiæ indolis puello intempeſtiva morte prævento Romanæ Nobilitatis incremento *Johannes Baptiſta Mancinus* Genitor tanta ſpe & hoc non exili ſolamento orbatus Filio dulciſſimo delitiis ſuis poſuit, qui vixit ann. I. men. IIII. di. XIX. hor. XIII. requievit die Martis XVIIII. Julii hor. XVII. an. ſalutiferæ nativitatis MDXIIII.

Ibidem:

D. O. M.

JOANNÆ CAPUTÆ Panhormitanæ natalibus
Religione & patientia conſpicuæ
cui extra patriam quæſitæ nuptiæ
relegationem in libertate, cœlibatum in conjugio
ſervitutem in dominatu, paupertatem in
divitiis
mortem in medio vitæ curſu
infœliciter attulerunt,
hoc uno fœlix

quod

quòd Roma quam vivam videre non licuit
mortuæ tumulum elargita est.
Vixit annos XXXXIIII. menses II. dies VIII.
Obiit Tibure die XXIV. Aprilis MDCXLIII.
Sabella Fermini infœlix Mater
Filiæ dulcissimæ sibique æternum lachrymabili,
posuit.

In Proaulio hujus Ecclesiæ parieti infixus est *lapis marmoreus oblongus* pervetustus, in quo *Aquila uniceps*, serto circumdatus, cui subscriptum:

Tot ruinis servatam Jul. Car. Sixti IIII. Pont. Nepos hic statuit.

In S. Maria in Portico, dicta *in Campitelli*, humi, in sacello Familiæ *Capizuchi*:

D. O. M.
ANNÆ MARIÆ CORSINÆ
Andreæ Marchionis & *Angelæ Mediceæ*
filiæ
indolis celsitudine præstanti
probitate insigni prudentia singulari
acerba in ætate virtutum culta maturæ
ab uno masculæ prolis puerperio denatæ
optimam vitam agitare diu
in hac mortalitate dignissimæ
nisi in immortalitate
alia uti spes est fuisset dignior meliori
Comes *Alexander Capizuccus*
uxori dulcissimæ fœminæ incomparabili
ægre superstes meritissimæ mœrentissimus
posuit
Anno Salutis MDCLXXXV.

Ibidem in Sacello quodam ad lævam duo conspiciuntur loculi, cum bustis nivei marmoris, sub quibus solummodo hæc verba, literis æneis inauratis comparent: *Umbra*: *Nihil*.

Supra portam *majorem Ecclesiæ Sti Jacobi, degl' Incurabili* dicti, intus:

ANTONIUS MARIA
Card. SALVIATUS
Templum DEO
domum ægrotis
ædificavit.

In *Ecclesia Jesus Maria* ad dextram in marmore nigro cælatum:

Hic situs CAMILLUS a CORNU
Patritius Tarvisinus
& Canonicus genio Principum
gratus & amicorum
vir acris consilii
omnigenæ literaturæ
& fidei vere germanæ
moriens XIII. Febr. MDCLXXX. ann. LXX.
reliquit huic templo scuta 4000.
posteris desiderium.

Ibidem:

D. O. M.
MATTHÆUS BOSELLUS
Cremonensis
vitæ & virtutis invictæ
ne morti invitæ succumberet
incubuit ut vinceret mortem

cui

cui ulto se offerens
sibi suisque hoc conditorium
præsignavit,
sed duraturus in ævum
hoc durum saxum sui præconem nominis
erexit in titulum pietatis
& animæ conservaturus suffragium
sacrum per singulas hebdomadas
hæreditarium reliquit proprio ære.

In *Ecclesia Sta Mariæ de Miraculis* sub busto quodam cupri egregii:

HIERONYMUS S.R.E. *Cardinalis*
GUASTALDUS
Non procul a fraternis cineribus ossa
ne quos natura & amor diu strinxerat vivos,
sejungeret mors,
hæc una ex pluribus ære suo erectis
clausit ambos fratres Ecclesia
Obiit anno MDCLXXX.
ætatis suæ LXIX.

In *Frontispicio Rotundæ, alias Pantheon,* dictæ; majusculis literis, lapidi incisis:

M. Agrippa L. F. Cos. tertium fecit.

Supra *portam* hujus Ecclesiæ *primariam extus:*

URBANUS VIII. Pont. Max.
vetustas ahenei lacunaris
reliquias
in Vaticanas columnas
& bellica tormenta conflavit,

ut decora inutilia
& ipsi prope famæ ignota
fierent
in Vaticano templo
Apostolici sepulchri ornamenta,
in Hadriana arce
instrumenta publicæ securitatis,
Anno Domini MDCXXXII. Pontif. IX.

Intus:

PANTHEON.
Ædificium toto terrarum orbe
celeberrimum,
ab Agrippa Augusti genero
impie Jovi ceterisque mendacibus Diis
a Bonifacio IIII. Pontifice
Deiparæ & SS. Martyribus
pie dicatum.
URBANUS VIII. *Pont. Max.*
binis ad campani æris usum
turribus exornavit,
& nova contignatione munivit
Anno Domini MDCXXXII. Pontif. IX.

In templo *Sti Johannis de Fiorentino:*

FRANCISCÆ CALDARINÆ PECORÆ
March. RICCARDÆ
Quæ præclaris Virum *Gabrielem March. de Riccardi*
Pro Seren. Ferd. II. M. Hætr. Duci
apud Innoc. X. & Alex. VII P.P. M.M. Oratorem
Romam sequuta
dum religione comitate const. omnique virtute
probatissima

Per

Per XI. annor. ſpatium urbis omnes ſibi concilia-
ret amores
Hominibus æque ac Deo chara,
Mortalibus erepta eſt, ut Superis donaretur.

Supra portam majorem templi B. Ignatii intus:

LUDOVICUS *Card.* LUDOVISIUS
S. R. E. Vice-Cancellarius
in honorem B. Ignatii
ſocietatis Jeſu fundatoris
Quem Gregorius XV. Pont. Max. Patruus
inter Sanctos retulerat,
templum hoc a fundamentis extruxit.
Nicolaus Plumbini, & Venuſiæ Princeps Frater
aperiendum curavit, auſpiciis
Innocentii X. Pont. Max. Annum Jubilei MDCL.
ſanctiſſime celebrantis.

Ibidem *in monumento Papæ Gregorii XV*:

Alter Ignatium aris,
Alter aras Ignatio.

Humi; in lapide ſepulchrali ovato:

Hoc ſub lapide
Ludoviſiæ familiæ Principes
conquieſcunt.

Ibidem *humi in lapide rotundo centrali*:

In medio virtus ſua ſic miracula pandit
Ars melius medium ſic tenet illa ſuum.

In *templo Stæ Mariæ del Popolo* ad latus lævum
prope ingreſſum ſub effigie quadam:

D. O. M.
GASPARO COELIO ROMANO
Dominici Romani Cœlii filio
Philippi tertii Hispaniarum Regis Cathol.
beneficio inter honorarios Christi
milites professos delecto
qui
Religionis & veritatis amorem ante
cætera posuit
tum
delineandi pingendique facultatis
inprimis cupidus
quod reliquum fuit otii consumpsit
in Poësi Mathematicis disciplinis
in civili militarique architectura
sed quod raro contingit
cum *Claudia Sebastiani Tiburtina*
uxore sine querela conjunctissime
vixit annos 45.
obiit anno ætatis suæ LXIX.
Christi MDCXI.

Ibidem in columna templi alia;

CAMILLÆ BONVISIÆ Lucensi
nobilitate generis, forma corporis
morum amabilitate, pudicitia,
prudentia, religione admirabili
Vincentius Parentius
Advocatus Consistorialis
Conjunx conjugi unanimi
quacum triginta sex annos
nullis unquam eventis

ne

ne leviter quidem tentata concordia vixit
mœstiſſ. poſ.
Vixit annos LIII. obiit anno MDLXXIX.

In *columna, ubi vas luſtrale;*

D. O. M.
Hic lapis centrum eſt
cujus peripheria vita fuit
giratus eſt quondam
in hoc turbulento vitæ circulo
Nobilis SAMUEL RAPHAEL GLOBICZ *de*
BUCZINA *Boemus Pragenſis*
Parente Regni Geometra
qui infeliciſſime quadraturam circuli invenit
dum filius hic ejus dilectiſſimus
ſub hoc quadrato lapide ſepulcrali
anno MDCLXV. die XVIII. Auguſt.
ætat. XXV. humatus eſt.

Sub *effigie quadam prope portam:*

JOHANNES BAPTISTA GISLENUS *Romanus*
ſed orbis civis potius quam Viator
Cum Sigismundi III Uladislai IV.
ac Johannis Caſimiri I.
Poloniæ & Sueciæ Regum.
Architectus non uno in Capitolio fuit
omnia bona ut mala ſecum tulit
domum hic quærens brevem, alibi æternam
ſuis edoctus floribus, pomis ac montibus
vitam non modo caducam eſſe, ſed fluxam
ea ſeſe vivum expreſſit imagine
quam non niſi pulvis & umbra fingeret

me-

memor vero hominem e plastice natum,
hæc artis suæ vestigia fixit in lapide,
sed pede mox temporis conterenda;
ita mortis suæ obdurescens in victoria
ut illam captivam ac saxeam fecerit;
picturæ, sculpturæ & architecturæ
triplici in pugna nulli daturus palmam
Judex non integer scissus in partes
Anno MDCLX. suum agebat LXXmum
cum hæc inter rudimenta præluderet
peregit tandem extremum ann. 1671.
a te nec plausus exacturus nec planctus
sed in aditu　　　in exitu
ave　　　salve.

Sub *monumento Comitis Mascii Ascolani, Papæ Nicolai IV. Nepotis:*

Heu matris crudele nefas mea pignora partus
　Pignora deliciis parta, dolore neco,
Justa dabam Patri tumulo lacrymasque cadentes
　His lachrymis inhians, hoc amor amne perit,
Me sævam reddit pietas, dum funera ploro,
　Intero dum vitæ stamina necto, seco.
Prima dies nato non fulsit, & ultima venit
　Hoc uteri pondus funeris urna veho.
I puer infelix, Medeæ viscera quære
　Illa frui saltem luce oriente daret.

In *tertia templi parastata ad lævam:*

Hospes disce novum mortis genus, improba felis
Dum trahitur, digitum mordet & intereo.

Fran-

Franciscus Tovar Vallisoletanus. I. U. D*

Ibidem :

D. O. M.
JO. BAPTISTA SPADA *Patritius Lucensis*
Quirinalis Aulæ & Fisci, & Cam. Apostolicæ
Advocatus Decanus hic situs est,
patrocinandis aliorum causis certatim adhibitus,
suam apud Deum causam non perdidit
a tribus summis Pontificibus
arduis gravibusque negotiis impositus
jura sedi Apostolicæ asserere
non sibi honores inde aucupari priuatim studuit
honorum merito contentus
minore invidia, non minore fama vixit,
sepulchrum vero sibi vivus condidit,
ut hunc mortis monitorem consuleret,
dum aliis consulit.
Obiit anno Domini MDCXXIII.
ætatis suæ LXVIII.

Ibidem :

D. T. V.
Pyladis. &. Orestis
memoriam.
hospes. renovato. in hoc. tumulo. lege.
hic. enim. jacent.
Simon. Leonellus. &. Ipolitus. Sterpinus.
Romani.
quorum. primus. altero. defuncto.
vivere vel non potuit

adeo

* Fuit JCtus Hispanus, qui morsu felis, qua cum luse-tat, mortuus est.

adeo. vixit. unanimis. vel. noluit.
ne. illius. anima. haberet. quid.
desideraret. in. cœlo.
Franciscus. Leonellus. non. tam. magni.
erga. avunculum. &. amicum. amoris.
quam. sui. met. doloris. monumentum.
mœstissimus. p
Obiere. alter. die. XIII. Augusti, alter. XIX.
ejusdem. mensis.
ætatis. suæ. primus. XXXXXI.
secundus XXXXXII. annor.
anno. Dmni. MDCXXXVIII.

Ibidem:

D. O. M.
Alexandro. Magio. Patritio. Bonon.
Morum. gravitate. &. innocentia.
conspicuo.
præter. insignem. in. utriusque. Juris.
prudentiæ. laude. præstantiam.
omnis. politioris. doctrinæ.
cognitione. ornatissimo.
qui. Bononiæ. &. Maceratæ.
publice. plures. annos. professus.
mox. Bonifacii. Card. Bevilaquæ.
in. Familia.
utriusque. signaturæ. Referendarius.
diu. Romana. in. Urbe. floruit
inde. Perusiæ. &. Umbriæ.
ejusdem. Cardinalis. Prolegatus.
mirum. eruditionis. vigilantiæ.
integritatis. specimen. dedit.

Fani.

Fani. Fortunæ. Urbem. pari. virtute. rexit.
demum. in. Urbem. reversus.
variis. in. Congregationibus.
probi. doctique. Viri. munere.
egregie. perfunctus.
in. ipso. honorum. limine.
immatura. est. morte. præreptus.
Idem. Bonifacius. Card. Bevilaqua.
Amico incomparabili.
Joannes. Magius. Fratri. dulciss.
P. P.

In *Porticu S. Mariæ in via lata:*

Alexandro VII. Pont. Max.
Locus antiqua veneratione sacer at nobilis
in quo S. Apostolum Paulum diu moratum
non semel una cum ipso Ecclesiæ Capite S. Petro
de rebus Christianæ fidei deliberasse
ubi S. Lucam Evangelistam & scripsisse
& Deiparæ Virginis imagines depinxisse
jam inde a primis temporibus traditum
congestu terræ olim depressus atque inaccessus
facili scalarum descensu
immissoque fenestris lumine
perpurgatus exoneratusque
pio fidelium cultu restitutus est.
Anno Salutis MDCLXI.

Ibidem supra januam sacelli subterranei:

Oratorium
quondam sancti Pauli Apostoli

Lu-

Lucæ Evangelistæ & Martialis Martyris
in quo & imago Mariæ Virginis
reparata sistebat,
una ex septem a beato Luca
depictis.

In templo *P. P. Augustinianorum ad lævam* sub busto marmoris nivei:

Fr. HENRICO NORIS *Veronensi*
Ordinis ac tituli S. Augustini
Presbytero Cardinali S. R. E. Bibliothecario
Augustiniana Eremitarum familia
Theologo, Chronologo, Historico, B. M. P.
HENRICO monumentum ingens sese
explicat orbis
Phœnicum ad littus littore ab Hesperiæ
Inscribunt tumulo quicquid duxere perenni
Ære argento auro Secula & Historiæ.
NORISIO minor est titulus tu grandior esse
Augustine potes par tumulo titulus.
Obiit VII. Kal. Martii
anno ære Christi MDCCIV.
ætatis LXXIII ex A. D. IV Kal. Septembr.

Non procul ab hoc monumentum celebr. *Onuphrii Panvinii*:

D. O. M.
F. ONUPHRIO PANVINIO Veron. Eremitæ
Augustiniano
Viro ad omnes & Romanas & Ecclesiasticas
antiquitates
e tenebris eruendas nato

Qui

Qui Alexandr. Farn. Card. Vicecan. in Siciliam
prosequutus alienissimo
Et sibi & posteris tempore Panormi obiit XVIII.
Kal. Apr. MDLXVIII.
Præclaris multis & perfectis & inchoatis
industriæ suæ
Monumentis relictis vix. Ann. XXXIX.
Amici honoris causa posuerunt.

In *columna* ex *adverso majoris Altaris* sub busto marmoreo.

D. O. M.

Rhetoricari mors indocta cum nesciat
Nihilominus in ill. DD. PHILIPPI *Vice-Comitis*
Mediolanen. lethali translatione
luctuosam nimis heu metaphoram fecit,
auferens Congregationi Illicetanæ Rectorem,
Declamatorem templis, scholis Magistrum,
Doctorem cathedris
Augustinianæ Religioni Procuratorem &
Priorem Generalem
Catacensi Ecclesiæ gregique Pastorem,
non nisi e medio tollere cum didicerit,
omnis illi figura syncope est
At frustra Virum sepulchralibus circumdedit
tenebris
cujus claritas sub Innocentio Decimo
gravioribus fidei controversiis ad trutinam
vocatis effulsit
Pastori vitam non eripuit, cujus summa laus est
Ovibus vixisse, non sibi.

Lapidem hunc optime merito Præceptori gratus
erexit Rev. P. Mag. *Hieronymus Valvasorius* Mediol.
Generalis Augustinianus
ejusdem nomini daturus
marmoreo splendore lucem duritie æternitatem
anno MDCLXVIII. quo ætatis fato cessit
Obiit Catacii Anno MDCLXIV. die VI. Januar.

Ibidem ex parte adversa sub effigie quadam:

HIERONYMO DE GHETTIS *Romano*
Virtutum nobilitate
Religionis integritate
Verbi DEI præconio
& in pauperes munificentia
singulari
qui ad Generalatum evectus
imperans ut Pater
gubernans ut Pastor
quicquid e cœlo hausit
pro sacrario temploque effudit
quique in Urbe orbem relinquens
in Olympi Orbem & Urbem
abiit MDCXLVI.

Paulo infra ad lævam:

D. O. M. Gloria
FRANCISCA JAGGIOLI Biturgiæ civis
Urbis autem incola
Francisci Cozzæ Pictoris Calabri Conjux
modestissima incessu & habitu
prudentissima operibus & sermone
integerrima, religiosissima

Viri amantiſſima
Spiritum Deo reddidit
terræ corpus dedit
die XV. Julii MDCLXI. ætat. LXX.
Vir gratus
memoriam marmoream
poſuit.

Apud Auguſtinianos in Campo Martio:

D. O. M.
BALTHASARI PIO *Peruſino*
Militum ductori
manu an conſilio præſtantior ambiguum
ſuper Pontificis vexillo
dum concertantes componit ſuos
a nolente ictus
in ætatis flore & honorum curſu
occubuit
Lachrimarunt ſui luxit exercitus
quodque majus virtutis præconium
hoſtes indoluerunt.

Deceſſit Salutis MDCXLIII.
ætatis ann. XXVII.
Angelus Pius Nepoti
nunquam ſatis complorato.

In Sancta Maria trans Tiberim in columna ad lævam prope chorum:

A. D. G.
Lector, ſiſte
nec vivus, nec mortuus
hic hæreo, hic mœreo.

Filio eram destitutus
Conjugem amiseram
hic
Filio reddor
& a Conjuge non sejungor;
Et dum
mortuos spectans
mortem exspecto;
præ timore lapis
hunc lapidem erigo;
nec sensu careo;
nam & ipsi lapides
suas lacrymas habent.

GABRIEL PRATUS Astensis
Seculo XVI.
Post mortem Regis vitæ.

Non procul ab hoc *humi in lapide sepulchrali:*

Hic *Castri Apiculi* GUIDOBALDI ab origine
RICCI
Ossa sepulchrali carcere nuda jacent.
Sidus Apostolicum dedit urbe juvamen egenis
Et sibi commissis longe animabus opem.
Julius huc Cæsar jam jam declivis adhæret,
Ut Germana fuit vita, sit urna comes.
Obiit III. Idus Februarii anno MDCLXXII.

In alio lapide sepulchrali:

LAURENTIUS CAMPIOLUS *Civis Rom.*
& TIBERIA *ejus uxor* vixerunt
concordissimi MDXL.

Ibi-

Ibidem:

D. O. M.

STANISLAO. HOSIO. Polono. S. R. E. Presb. Card. Varmien. Ep. majori. penit. vitæ. ſanctitate. eruditionis. &. eloquentiæ. gloria. celeberr. Catholicæ. fidei. acerr. propugnatori. qui. cum. antiquæ. probitatis. &. Epiſcop. vigilantie. præſtantiam. in. humilitate. caritate. caſtitate. beneficentia. expreſſiſſet. hæret. ſectas. ſcriptis. &. conſiliis. ſapientiſſ. ferventer. oppugnaſſet. multos. ab. errorib. revocaſſet. graviſque. Legationib. pro. pace. Eccl Dei. cum. apud. Carol. V. &. Ferd. Cæſſ. tum. præcipue. in. S. Conc. Trid. Pii. IIII. Pont. nomine. feliciſſ. perfunctus. Chriſt. Reipubl. plurimum. profuiſſet. omnium. virtutum. laudib. &. exemplis. ad. imitandum. abundans. obdormivit. in. Dno. Nonis. Aug. Anno. MDLXXIX. ætatis. ſuæ. LXXVI.

Stanislaus. Patruo. &. Stan. Reſcius. Patrono. beneficentiſſ. execut. teſt. poſ.

Aliud ibidem:

D. O. M.

ANNÆ MARIÆ DE FERRIS
Genuenſi,
Fœminæ
cum priſcis comparandæ
ſed tandem ſe ipſa dignæ
quæ dum morum probitate
omnes in admirationem ducit
mortem in invidiam trahit.

Gabriel Pratus Astensis
gratissimus
optimæ Uxori
cujus ardorem animo sensit
cineres monumento collegit
hæc moriens
XXXIII. vitæ annum
secum duxit
ultimum fletus diem
marito reliquit.
cIↄ Iↄc XXXI.

In Sta Cæcilia trans Tiberim, sequentia duo solummodo notantur epitaphia:

D. O. M.
ELISABETHÆ RUGERIÆ
Dulcissimæ Genitricis
virtutibus quam fœtibus
fœcundioris
a qua vivente
vix unquam divulsa est
ne moriens longius abesset
D. *Catherina Eleonora*
Moricona
S. Cæciliæ Monialis
Utinam probitatis hæres
Ossa heic mœrens posuit
Anno salutis MDCXLVII.

LAURENTIO BARLANO
Civi Romano, Viro optimo
Pietatis cultu, & medica professione celebris

Qui

Qui consulens in humanis aliorum saluti
moriens propriæ non immemor
Capellania perpetua in hac æde instituta
quotidianæ Missæ suffragium
pro ipsius anima celebrandum reliquit.
Obiit Anno MDXLV. ætat. LVIII.

In Ecclesia Sti Onuphrii humi:

TORQUATI TASSI ossa hic jacent
Hoc ne nescius esses hospes
Frēs hujus Ecclesiæ
P. P.
MDCI.
obiit anno MDXCV.

In pariete proximo:

TORQUATI TASSI Poëtæ, heu quantum in hoc uno nomine celebritatis ac laudum! ossa huc transtulit, hic condidit Bonif. Card. Bevilaqua, ne qui volitat vivus per ora virûm, ejus reliqua parum splendido loco colerentur, quærerentur. Admonuit virtutis amor, admonuit adversus Patriæ Alumnum, adversus Parentum amicum pietas. Vixit annos LI. Nat. magno florentiss. sæc. bono anno M.D.XLIV. Vivet haud fallimur æternum in hominum memoria, admiratione, cultu.

Ibidem sub *monumento marmoreo Sacci Antonitani Ragusæ Archiepiscopi :*

Labor & gloria, vita fuit,
Mors, requies.

Non *procul a Torquato Tasso sequens videbis epitaphium*:

ALEXANDRO GUIDO Patricio Ticinensi
Lyricæ Poësis Cultori celeberrimo
eruditorum laudibus, urbis plausu
Magnorum Principum familiaritate
ac honoribus illustri,
qui dum maximi, SSmi Pontificis
Clementis XI.
sacris homiliis Italico carmine donandis
incumberet,
sub onere splendidissimo
in Tusculana civitate
acerbo interceptus fato
gloriæ potius quam dierum plenus occubuit,
Ludovicus ex Principibus *Mirandolæ*
Tit. S. Sylvestri in capite Presb. S. R. E.
Cardinalis Picus, Apostolici Palatii Præfectus
annuente Pontifice
huc translato tumulatoque corpore,
ut, quod ille in votis habuerat,
prope Magnos Torquati cineres
conquiesceret,
monumentum posuit.
Obiit die XII. Iunii
MDCCXII.
ætatis suæ ann. LXIII.

Ibidem:

FRANCISCO PUCCIO Patria & Canon. Florentino Archidiacono Legionensi Car. de Aragonia

gonia a secretis fideliss. morum gravitate ingenioque prestantiss. utriusque linguæ multiplicisque doctrinæ Regibus Aragoni. egregiam operam navavit cuique importuna mors majores honores titulosque præripuit,

Vixit Ann. XLVIII.
men. XI. di. XXI. obiit
die XXIIII. Aug. Ann. MDXII.
amici flentes posuere.

Inveni portum spes & fortuna valete
Nil mihi vobiscum ludite nunc alios.

In Sto Francisco a Ripa ;

LAURENTIUS DE MARTINIS
Surrentinus
ad Tibridis ripam per 30. annos
Mercator celeberrimus,
lapidibus, quos nephritis pertinax
in illius corpore generaverat
tumulum sibi construxit.
Sic moriens documentum posteritati
reliquit,
vitæ integritate & morum candore
solam cœli mercaturam esse quæstuosam.
ætatis XLVIII. obiit anno MDCXLVIII.

Aliud *humi ad lævam prope portam ;*

DEO
Perenni implorato suffragio
suis pacato labibus
ut sperat misericordi

OPTIMO
æternam traditura requiem
suo sacro redempto cruore
morte impavide expugnata
gloriam sua pietate tradenti
MAXIMO
nunquam defecturo
perennitate profuturo
PETRUS PICA Brachiani ortus
vixit & commendat
extrema cinis ossa
cadaver in urna
septa silent. Spiritus astra tenet.

Ad *dextram chori sub busto marmoris candidi:*

Hic jaceo
quondam Jurisconsultus
ULYSSES CALVUS AB UNELIA
nunc sine juris ope
nam de Patrono
Me mors facit esse Clientem
Patronus causæ
ah!
qui legis esto meæ.

In *Sto. Jacobo alla Longara ad dextram in pariete itidem sub busto nivei marmoris:*

Memoriæ
HIPPOLYTI MERENDÆ
Cesennat. Jurisconsulti
prudentia ac fide

in

in causis agendis præstantissimi.
Franciscus Barberinus
S. R. E. Diac. Card. & Vice-Cancellarius
quod hujus ædis sacram fœminarum
familiam, quæ in ipsius tutela est
i. s. ex H. S. vicies circ. N. hæredem
fecerit
ponen. curavit.

In *Sta Maria della Scala prope introitum:*

PETRUM TANUM,
qui lapides in vivos dixeris homines
divosque formabat, gratus ego lapis
celatis laudibus vivum
reddere gestio, argenteus si essem
parem Jo. Bapt. filio gratiam
ref.
ut DEUS eos in cœlis vivere faxit
Tu rosa uxor mater & hæres oranto
MDCLVII.

Aliud ibidem:

MARIÆ TERESIÆ avo
Virginitatis nitore
omniumve cultu virtutum
laudatissimæ
cum vixit obiit sibi & mundo
cœlo & DEO ut viveret
cum obiit XXIV. Mart. MDCXCIV.
ætatis annorum LVII.

Aliud:

MARIA LUCRETIA RICCIA

Mar-

Marchionissa Macarana
hic supplex jaceo,
donec veniat immutatio mea
anno M DCCVIII.

Aliud:

FAMILIA GAETINARIA
hic cineres
cœlo animos
obtulit
quaterno fratrum numero
Teresiæ filiis
cooptato
anno reparatæ Salutis
M D C LXXVII.
die X. Februarii.

In *Sti Bartholomæi dell' Isola*:

CATHERINA PASTORELLI
Dominici Violæ - Sponsa
simplicitate puerili, ætate juvenili,
sagacitate virili, probitate senili,
decennio conjugata
duodetriginta animata
decessit
XV. Julii M DCXIII.

In *Sta Maria del Pianto humi*:

IACOBUS MARINUS
laudabiliter in vitæ curriculo versatus
susceptis ex *Benedicta* uxore
XXIX. maturis ac duobus immaturis filiis
mor-

mortalem se noscens
vivens ac superstes in filiis
post varias vitæ ærumnas
hoc sibi suisque sepulchrum
posuit.
Anno MDCXXXI.

Supra portam primariam *Sti Lucæ in Sta Martina* intus:

URBANUS VIII. *Pontifex Maximus* Martinæ Virginis & Martyris antiquissimam Ecclesiam adjuncto S. Lucæ Evangelistæ titulo insignem post hic repertum & repositum ejusdem Virginis corpus in meliorem formam exstrui mandavit.

Franciscus Cardinalis Barberinus Patrui voluntatem & pietatem secutus ornavit absolvit Anno Domini MDCL.

In ipso templo ad dextram altaris cujusdam marmori nigro inscriptum est sequens LAZARI BALDI, *Pictoris* eximii, Epitaphium:

In laboribus & vigiliis
a juventute mea usque ad senectutem
semper vixi,
nunc morior & expecto
donec veniat immutatio mea.
Domine
dum veneris
noli me condemnare.

Infra:

Qui Lazarum resuscitasti

a mo-

a monumento fœtidum,
resuscita me
& jube me venire ad te,
ut in æternum benedicam te.

En *parodiam quandam ex altera parte altaris; in sororem defuncti:*

In castitate & jucunditate
ab adolescentia mea usque ad senectutem
semper vixi;
nunc morior, & in novissimo die
de terra resurrectura sum
& in carne mea cupio videre
Deum
Salvatorem meum.

Paulo infra:

Qui duodecim millia
ex omni tribu signasti
humiliter quæso
signa me
ut in æternum glorificem te.

Supra *portam primariam templi Cosmæ & Damiani* prope Viam Sacram:

En tibi *Roma*
Ex Arabum Ægea obsequium
fidei propagatæ
sanguine invictissimorum Martyrum
COSMÆ ET DAMIANI,
quorum sapientiam
disciplina Medica exaltavit.

Plau-

Plaude Roma,

Vim passis spe felicitatis æternæ
qui violenti rapuere cœlum
naturæ myſtis, pietate, miſericordia,
ſtudio & labore præclaris.
Hæ virtutes decent Medicos,
Quos immortalitatis ſpes non confundit.

Mirare Roma,

Tirannidis victores, morborum depulſores,
& quia naturæ adjutores, elementa ceſſerunt,
Ignis, aqua, lapides, sagittæ.
Charitas omnia vincit.

Gaude Roma,

Iuſtorum gloria, quorum corpora
in hoc templo veneraris.
Juſtus ex fide vivit,
Fides potitur DEO.

Ipidem ſub Coſmæ imagine picta:

S. COSMAS MEDICUS MARTYR,
vere Microcoſmus
quo ſunt abſconditi theſauri
ſapientiæ & ſcientiæ
mortalium tenebris lux & lex,
Sal terræ, languentibus ſalus & ſol,
nec læditur a morte ſecunda,
qui aliorum vitam
ſollicite curando cuſtodivit,
ſed fortis fidei propugnator
ſuaviter ardet in divinitatis igne,
quod nunquam extinguitur.

Ibi.

Ibidem sub imagine Damiani:

S.DAMIANUS MEDICUS MARTYR,
Dei manus ad hominum medelam
quorum
non corpora tantum
sed & animas sanavit
fidelis victor
factus columna in templo Dei
obtinuit coronam vitæ,
nec accepit in vano animam suam
pro fide proprio effuso sanguine
innocens manibus & mundo corde
factus omnibus omnia,
sedet in throno DEI.

In *templo S. Gregorii nel monte Cælio* sequentes duæ inscriptiones adparent ad dextram altaris in marmore nigro:

ÆMILIÆ LOMELLINÆ
Pauli Vincentii Filiæ
Lucii Sabelli Rignani Domini
Uxori;
Forma corporis elegantia morum
animi candore conspicuæ
quæ duos vix menses
nuptiis lætata
vere docuit extrema gaudii
occupare luctum
Iofredus Lomellinus
suavissimæ sorori
m. p.

Obiit

Obiit Regnani IIX. KL. Sept.
cIↄ Iↄ XcII.
æt. ſuæ XXV.

CATHERINA SPINULA
Æmiliam filiam
ad nuptia comitata
acerbiſſimi caſus
dolore percuſſa
funus funere cumulavit
& Kal. Septemb. eodem tumulo
condita a *Jofredo filio*
cui in magno luctu
unicum ſolatium
quod Romæ degenti
in ſancto hoc templo
veniam illis a Deo precari
& lacrymas ſepulchro
profundere datum.

Sub *ſtatua S. Gregorii marmorea* in ſacello quodam non procul ab hoc templo:

S. GREGORIO MAGNO
Papæ
& Eccleſiæ Doctori
Patrono ſuo
Cæſar Baronius
Tit. S. S. M. M. Nerei & Achillei
S. R. E. Presbyter Cardinalis
locorum antiquitate reſtituta
ſacram ſtatuam poſuit
& populo fideli
venerandam propoſuit

Clemente VIII. Pont. Max.
Anno MDCII.

In *mensa marmorea heic loci* conservata:
Bis senos hic GREGORIUS pascebat egentes,
Angelus & decimus tertius accubuit.

In *Sto Stephano rotundo*, olim templo *Fauni Capripedis*, prope Altare Crucifixi humi in lapide sepulchrali:

Hic requiescit corpus devotus Christi famulus, Archipresbyter Benedictus Diaconus S. Marie, qui a Dominica omnisque ad hanc Basilicam increditis, dic nemini orare pro me peccatore, Pro Christi nomen omnes conjurans ut nullus hoc tumulo violare audeat, si quis autem violare præsumpserit, a Patre & Filio & Spiritu Sancto anathematis ei damnatus existat.

In Sto Laurentio in Damaso humi ante chorum:
CHRISTIANO ULFELDT, S. R. I. Comiti,
Hujus Basilicæ Canonico Presbytero,
Generis claritudine inter Danos præfulgenti,
ipsisque Regibus per matrem conjuncto,
Christinæ Alexandræ
Svecorum Reginæ incomparabili
inter primi ordinis aulicos
acceptissimo;
pietate in Deum
zelo in catholicam religionem
cui fratres & sororem Lutherianæ hæresi
ereptos adduxit & asseruit
cultu in parentes
caritate in propinquos & cives

fide

fide in amicos
humanitate in universos
spectatissimo, probatissimo.
Uladislaus Constantinus Vasa Comes in Vasno
Executor testamentarius Amico Carissimo
P. C.
Obiit anno R. S. MDCLXXXVIII.
ætatis suæ LV.

Ante sacellum chori in lapide sepulchrali:
Quem invida mors
Abstulit *Antonium*,
Pietas & humanitas
Mori non sinunt.

Ibidem:

D. O. M.
ANNIBALI CARO
Equiti Hierosolymitano
omnis liberalis doctrinæ
poeticæ inprimis Oratoriæque
facultatis præstantia
excellenti
Petro Aloisio Permensium Duci
& Alexandro Cardinali Farnesiis
ob spectatam in consiliis dandis
epistolisque scribendis
fidem atque prudentiam
suis vero aliisque omnibus
ob singularem probitatem
ac beneficentiam
carissimo.
Vix. Ann. LIX. men. V. dies XII.

Inter quamplurimas Stæ Mariæ supra Minervam inscriptiones sequentes præcipue notari merentur:
In *Sacello familiæ Altieri:*

DRUSILLAM in gemitu quæris, sursum aspice cœlo
Fulget sunt lacrymæ hic quos dat uterque parens.
His tu Coa lacrymas, caræ dulcissima matri
Solamenque patris blandula viva fuit.

In monumentum CÆSARIS MAGALOTTI:
Viximus unanimes disjuncti funere rursum
Incipimus vita nobiliore frui.
Ut querimur mortale genus post fata superstes
Vivit nos qui astris addidit unus amor.
Sic quoque perficitur, flammis non læditur aurum
Et Phœnix lethi nescia, læta perit.

In monumentum JOHANNIS BAPTISTÆ CANDO, Nobilis Gadovanensis:

Dum procul a patriâ Romam pius advena lustras
Te veram Omnipotens transtulit in patriam.
Postea te sequitur frater jungendus in astris
Qui tibi dum vixit junctus amore fuit.

Prope *templi portam ad dextram in pariete* sub monumentum NICOLAI CORNARI:
Dat natale solum tibi Prussia, Roma sepulchrum,
Æternas sedes cum requiete Polus.

Prope portam hujus templi secundariam ad dextram:
Qui nunquam in curis consumpsit inanibus ævum
FRANCISCUS NERUS clauditur hoc tumulo.

Ante

Ante sacellum Sti Hiacynthi:

Fratri GREGORIO DONATO Romano Sac. Palatii Magistro Ordinis Prædicatorum, huc vectigalis mortalium oculi, Gregorius e cœlo donatum, cœlo redditum luget acerbus ævo maturus ingenio collectaneam habuit sapientiam, naturam ingenio, ingenium virtute, vicit nondum adultus, jam Magister plus docuit quam didicit præceptis exemplo, ubique par fortunæ, utramque provocavit; vicit, dignitatum gradus omnes meritus ascendit, nullius Candidatus, rexit alios ut seipsum, seipsum ut alios oculata mente, cœca manu, talem virum magistrum orbis nominavit *Urbanus VIII. Pont. Max.* hinc merita metire, vixit ann. LXIII. obiit MDCXIII.

In sacello familiæ Aldobrandinæ:

Hic. qui. filiorum. tam. illustri. corona. cingitur.
Sylvester. Aldrobandinus. est.
Patritius. Florentinus.
Clementis. VIII. Pont. Opt. Max. Pater.
a. Principibus. Viris. in. adversa. etiam. fortuna.
arduis. negotiis. certatim. adhibitus.
civis. optimus. summusque. Juris. Consultus.
quod. ex. laboribus. pro. patria. susceptis.
&. ex. ingenii. monumentis. cognosces.
quam. vero. fuerit. prolis. educandæ. gnarus.
parens.
dignitates. natorum. testantur.
Vixit annos LVIII. menses VI. dies XIII.
Obiit VIII. Idus Junii cIɔ Iɔ LVIII.

In alio quodam ſacello:

Jeſu Chriſto ſpei & vitæ fidelium.
Paulo IIII. Caraffæ Pont. Max.
Eloquentiæ doctrina ſapientia ſingulari
Innocentia liberalitate animi magnitudine præſtanti
ſcelerum Vindici integerrimo
Catholicæ fidei acerrimo Propugnatori.
Pius V. Pontifex Maximus
grati & pii animi monumentum
poſuit
Vixit An. LXXXIII. menſ. I. d. XX. Obiit cIↃ DLIX.
XVIII. Kal. Sept. Pont. ſui Anno V.

In ſacello Urbani VII.

D. O. M.
URBANO VII.
Chriſtianæ Reipublicæ bono nato,
cui quicquid in egregium hominem dici poteſt
fuit beneficio naturæ collatum
ad ſummi Pontificatus apicem tardius evecto
quo celerius invida morte prærepto
inconſolabili Urbis & Orbis mœrore ætat.
Ann. LXX. Pont. die XII.
Archi Confraternitatis Sanctiſſimæ Annuntiatæ
ob amplificatos ſine exemplo reditus
in pauperum Virginum dotes erogandos
hæres ex aſſe Protectori Munificentiſſimo
munus ſingulari religione debitum
dedicavit.

Aliud in eodem templo:

MA-

MARIA ISABELLA ACCORAMBONA
Conjugi cariſſimo hic cum Majoribus ſuis
requieſcenti
ubi & ipſa ſepulchrum ſibi delegit
ut quos conjunctiſſimos mors diremit
Mors æque ſed æternum jungat
luctus levamen deſideriis ſolatium
conſtantiſſimæ fidei
& amoris ſempiternum monumentum
ære ſuo poſuit
vixit ann. XXXIV. MDXXIX.
vivant oſſa DEO cui vivunt Omnia
ſic quoque ſub gelido marmore vivit amor.

In templo Sti Andreæ della Valle:

Plura ſub exiguis conduntur corpora ſaxis,
Et tamen in ſaxis clauditur hiſce nihil.
Quid mortalis homo? nihil eſt, nil clauditur ergo,
Sic nos mortales mors nihil eſſe monet.
CAMILLA PELEGRINA
obiit anno MDCXXXIII.

Ibidem:

Mentis eram hoſpitium, gelidi ſum marmoris hoſpes
Mens dedit eſſe hominem, mors modo vertit humum.
Hoſpitium mihi vita fuit, ſibi terra recepit
Omnia mens tantum, quod bene geſſit, habet.
ANTEUS MALTEUCCIUS
ſibi poſteriſque ſuis
anno MDCXXXIII.

Adhuc aliud:

Me Picenorum genuit mons Gallus & alma
Roma dedit funus doctor equesque ſui.
Mons dederat cunas, vallis mihi condidit oſſa
I, mundi incertas advena diſce vices.
THOMAS PAULINUS obiit MDL.

Ibidem in ſacello quodam:

D. O. M.
HORATIUS. ORICELLARIUS.
opes. bona. corporis.
Principum. gratiam.
&. terrena. cuncta.
umbræ. ſomnia. expertus.
ad. cœleſtis. vitæ.
mortisque. meditationem.
experrectus.
Sacellum. Deo. &. Angelis.
Sepulchrum. ſibi. &. ſuis.
vivens. fecit.
Anno. Domini. MDCIII.

Aliud in ſacello alio:

D. O. M.
JOANNI CASÆ.
Archi-Epiſcopo. Beneven.
cujus. ſingularem.
in. omni. virtutum.
diſciplinarum. genere.
excellentiam.
immortalibus. illuſtrem.
monumentis.

æmula.

æmula. nequidquam.
posteritas. admiratur.
Horatius. Oricellarius.
Avunculo. optime. merito.
posuit.

In *St. Carolo alli Catinari* humi sequentes leguntur inscriptiones:

Viator, non transeas pede.
Te moratur
POMPONIUS TARTALIA Senensis
Pomponio Jurisconsulto doctrina
& agnomine compar
latet corpus exanime lucet virtus
in eodem saxo
lugent literæ consepultæ & fama
Angeli Lavelli Tartalia
olim fortissimi Ducis
gentilis sui excubat ad Nepotis
cineres
legibus armatos & armis decoratos
obiit anno salutis M DCXXII.
nonas Martii ætatis suæ L.

Alia:

LAURENTIO SPERANDIO Civi Rom.
Viro integerrimo
studiorum omnium
amantissimo
qui discordias inter amicos
& affines obortas
mira cum prudentia

ſedavit
tandem communi omnium
dolore immatura morte
ereptus eſt.
vixit annos XXXIIX. menſ. II.
& dies XXIIX.
obiit IIX. Novemb. MDCXXIII.

Adhuc alia:

ADRIANI CAPPÆ Romani
Medici peritiſſimi
Domus ſecunda, donec tertia
hic immatura morte præreptus
immortalitati mature præluſit
Vixit ann. XLI. menſ. II. dies XXV.
obiit die III. Decembr. MDCXLIII.

Item:

ANTONIUS FONTANA
Veronenſis
æternæ fontem vitæ ſitiens
hujus peregrinationis curſu
expleto hic humari
mandavit, una cum oſſibus
dilectiſſimæ uxoris
Lucretiæ Morettæ
Obiit anno die

Coram *altare Sta Cæcilia* humi in lapide ovali:

Suſpendimus organa noſtra
donec veniat immutatio.

In *Sto Jacobo de Spagnuoli* in ſacello Sti Didaci
nobi-

nobili DIDACI DE VALDES urnæ incisum est sequens:

Certa dies, nulli est mors
certa, incerta sequentem
cura locet tumulum
qui sapit ante sibi.

In *templo Stæ Sabinæ monumentum* AUSIÆ VALENTINI:

Ut moriens viveret,
Vixit ut moriturus.

Aliud IGNATII CIANTI:

Hactenus-O
curæque
catenatique labores

Aliud JOSEPHI CIANTI:

Habuit labores vivens
Quietem moriens
legavit labores famæ
irrequietos immortali.

In *Sta Maria del Priorato* monumentum *Seripandi:*

Marmore sub gelido vere SERIPANDE jacebas,
Dum pluviis cineres immaduere tui.
Non tulit id pietas Aldobrandina, locoque
Composuit cineres nobiliore tuos.

Et in *ejusdem urna:*

Hoc SERIPANDE jaces gelido sub marmore Sergi,

Quem

Quem tremuit Maurus & tremuere Phryges.
Admiratus eras, nulli probitate ſecundus
Rhodius & primæ relligionis honos.

In *Sta Balbina* humi lapidi ſepulchrali inciſum:

Dulciſſimo Viro
SIMONI MORETTINO Neopol.
Cujus amorem diu experta
cum viveret, æternum ſervatura
poſt obitum. Margarita uxor
ex corde mœrentiſſima
lapidem ævo pereņniorem
P.
anno Domini MDCXCIII.

In *templo Sti Ambroſii* Monialium Benedicti-narum:

SANCTES SANCTIUS Sacerdos
a Longonio in Sabinis
Barberinorum Principum
familiaris
hoc ſacellum exſtruxit
inſtruxitque reditibus
ſibique vivens ac prudens
ſepulchrum hoc poſuit
mortalitatis memor
rerum humanarum
oblitus
anno ætatis ſuæ LXIII.

In *Stâ Maria in Publicoli:*

ALEXIO CIOSSIO DE ALEXIIS

nun-

nuncupato
Civi Romano
quem quod ob eximiam
in medica arte præſtantiam
multos vitæ ſpe deſtitutos
quaſi alter Æſculapius
priſtinæ redderet incolumitati
irata mors e vivis
eripuit.

In *Sta Barbara de Librari*, ſepulchrum Bibliopolarum:

ſodalibus
Bibliopolis
donec
aperiatur liber
æternitatis.

In altero latere:

Cuicumque
immutationem
hic
exſpectare volenti.

In Sto Hieronymo della Carità:

Pietati memorabili
FRANCISCUS BLANCUS *Novocomen.*
an. agens LI.
& vivere cœpit
& æternam vitam anhelans
temporariæ curriculum confecit.
Margarita Sinocchia Ro. Con.
& ſuo & Jo. Ant. filioli

nomi-

nomine & ejus qui in
utero adhuc eſt
poſthumus
Conjugi & Parenti opt. merito
& ſibi ſuisque poſterisque eorum
MDLXXXII.
V. Octobris.

Supra *portam primariam S S. Conceptionis FF. Capucinorum :*

Frater ANTONIUS BARBERINUS S. R. E. *Preb. Cardinalis* Sancti Honuphrii, Urbani VIII. Germanus Frater Templum Immaculatæ Virgini Conceptæ, Capuccinis Fratribus Cœnobium a fundamentis erexit; Religioſi in Deiparam obſequii, beneficæ in ſuum ordinem charitatis, monumentum. Anno Sal. MDCXXIV.

Capuccini Fratres grati animi ergo poſſ.

Ante altare majus ſepultus eſt modo *dictus Cardinalis*, cujus lapis ſepulchralis humi ſequentia tantum habet verba :

Hic jacet pulvis, cinis & nihil.

Imitatus fere hunc eſt *Princeps quidam Regius Polon.* * hoc ſibi in eodem templo poſito epitaphio :

Vermis in vita,
Pulvis in morte.

In *Atrio templi Pudicitiæ Patritiæ, hodie St. Maria*

* Erat is Alexander Sobieski. Romæ anno 1714. mortuus.

ria in Cosmedin, dicta *bocca della Verità in Scuola Greca*, in pariete ad lævam:

Templum hoc pervetustum
Pudicitiæ Patritiæ
a Gentilitate dicatum
anno Dni CCLXI
S. Dionysio Summo Pont.
S. *Mariæ in Cosmedin*
Christiana Pietas
in titulum commutavit;
in ejus Aula
Hadriano Imperatore
sub nomine Athenæi
Scuola Græca
antea nuncupata
S. Augustinum Rhetoricam
postmodum docuisse
ex veteri traditione
habetur
cujus rei memoriam
ne oblivione tepescat
Archipresbyter
& Canonici
hoc in marmore
apponi curarunt.
Anno Iubilæi
MDCLXXV.

Ibidem *itidem ad lævam ingens conspicitur marmor* ad modum metæ, figuram capitis humani cum ore aperto repræsentans, hac adjecta epigraphe:

Simulacrum

Diis

Diis Gentium ſacris devotum
horrore Cacodæmonum
impietate loci averruncata
obtulit Chriſtiana Religio
in anathema oblivionis
Virgini Matri DEI
cujus icona ab Iconômachorum
furore ſubrepta
hic perpetuo fidelium cultui patet.
Facti teſtem exhibet ſubjecta inſcriptio
ex antiquo pariete in hunc novum
(ut poſteris perennet)
fideliter tranſcripta
Anno MDCC.

Simulacrum hoc, *bucca veritatis* nuncupatum in templo Jovi Ammonio ab Hercule dicato prope aram maximam, in qua ritu Græco vana gentilitas ſacrificia peragebat, fuiſſe dicitur; ac tractu temporis in tali habitum veneratione, ut ſi quis maximum requireret juramentum, manu intra os ejus impoſita ſolenniter jurare cogeretur, impiis ſuperſtitionibus Deorum gentium ſublatis ſic jacuit dejectum, ut ejus falſa religio proſtrata in templo jam Pudicitiæ Patriciæ priſcis temporibus conſtructo aſpiciatur, in quo poſt generis humanî reparationem ſub titulo Stæ Mariæ in Coſmedin quod Sacerdotum ornamentum ſonat, Deiparæ ſemper Virginis memoria colitur atque veneratur.

Supra *portam principalem Palatii, ubi Officium Inquiſitionis congregatur, extus:*

PIUS V. P. M.

Con-

Congregationis Sanctæ Inquisitionis
Domum hanc qua hæreticæ pravitatis
sectatores cautius coërcerentur
a fundamentis in augumentum
Catholicæ Religionis erexit
Anno MDLXIX.

In *Porticu Stæ Mariæ trans Tiberim:*

CLEMENTI XI. P. M.

Quod in ipsis Pontificatus primordiis antiquæ suæ in Deiparam Virginem pietatis ac præcipui in hanc Basilicam cultus instinctu veterem Porticum fatiscentem magnificentius restituerit, & ad tuendam loci religionem cancellis ferreis circumsepserit Capitulum & Canonici gratum accepti beneficii monumentum posuere.

Anno Salutis MDCCII.

In latere quodam prope portam Sacristiæ:

CLEMENTI XI. P. M.

Christianam Rempublicam sancte ac sapientissime moderanti ob hanc Basilicam eximia beneficentia decoratam Capitulum & Canonici gratum devotumque animum testari cupientes solemne anniversarium die XXIII. Septembris perpetuo celebrandum duobus ejusdem Pontificis Patruis pietatis ac doctrinæ laude præclaris quorum mortales exuviæ hic conditæ sunt Philippo scilicet hujus olim Ecclesiæ Canonico & Annibali Vaticanæ Bibliothecæ Præfecto omnibusque aliis insignis Albanorum familiæ Progenitoribus ac posteris decrevere.

In tanti Benefactoris obsequium ac perennem

rei memoriam Capitularis decreti
hoc voluerunt exſtare monumentum.
Anno Domini MDCCII.

In Sto *Sebaſtiano ad Catacombas a manu porta dextra:*

Pontifices Martyres in iſto Cœmeterio ſepulti, *Anicetus*, *Soter*, *Pontianus*, *Antherus*, *Fabianus*, *Cornelius*, *Lucius*, *Stephanus*, *Xyſtus*, *Dionyſius*, *Eutychianus*, *Cajus*, *Euſebius*, *& Melchiades*; Iſti, & quamplurimi eorum ſucceſſores, ob celebrem SS. Mart. memoriam qui terram, & locum hujus Eccleſiæ, pretioſo ſanguine ad fidei noſtræ firmamentum, rubricavere, innumeras Indulgentias eam viſitantibus conceſſerunt.

A *manu ſiniſtra:*

Viſitet hic pia mens Sanctorum Buſta frequenter,
In Chriſto quorum gloria perpes erit.

Hic eſt cœmeterium *Beati Calliſti* Papæ & Martyris inclyti, quicunque illud contritus & confeſſus ingreſſus fuerit, plenam remiſſionem omnium peccatorum ſuorum obtinebit; per merita glorioſa centum ſeptuaginta quatuor millium ſanctorum Martyrum, quorum ibi corpora in pace ſepulta ſunt, una cum quadraginta ſex ſummis Pontificibus Beatiſſ. qui omnes ex magna tribulatione venerunt, & ut hæredes in domo Domini fierent, mortis ſupplicium pro Chriſti nomine pertulerunt.

Ibidem:

D. E. O.
OTTO BELLUS d' ENSE

Do-

Domo Montis Corvini
acernen. Medicus
XXXV. jam annis
Urbis incola
corporumque morbos
curando
mortem tolli
non posse expertus
sepulchrum sibi
hoc loco
apud pestilentiæ
depulsorem
S. Sebastianum
vivens elegit
An. Christi MDCXV.
ætatis L.

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu,
Vivite felices animæ: mors omnibus instat.

Ibidem in tumba S. Cæciliæ:

Hic quondam reconditum fuit corpus
Beate Cecilie Virginis & Martiris
hoc opus fecit fieri Reverendissimus
Pater Dominus Guilielm. Archiepisc.
Bituricensis Anno Dmni. MCCCC. non.

Ibidem prope puteum subterraneum:

In hoc loco, qui dicitur ad Catacumbas, Corpora SS. Apost. PETRI & PAULI in puteo sub Altari aliquandiu jacuerunt, ob quorum venerationem eadem singulis diebus concessa est Indulgentia, quam S. *Silvester Papa* in Ecclesiis ipsorum

Apoſtolorum eſt elargitus, eandemque Succeſſores ejus in Feſtis duplicibus, & in Quadrageſima duplicarunt.

In *Sto Urbano alla Caffarella* lapis quidam confractus ſequens mancum exhibet epitaphium:

DEFORA ELPIDIA inlæſi genitalis tori,
.. Fœmina, ſingularis pudicitiæ rari exempli,
quæ bene vivendo, maritali
... exculta eſt diſciplina, quæ vixit annos
XXXIIII.
menſes XI. dies VI. quieſcit in pace.
.. quæ fecit Marito ſuo *Heterio* annos XVIII.
compari merenti fecit.

Supra portam ædis Spiritus Sancti de Napolitani, via Julia:

Ædem hanc
Spiritui Sancto dicatam
ſodales ejus in magna rerum penuria
abundante pietate reſtaurarunt
An. ante Jubileum MDCXLIX.

In templo S. Petri in vincula:

D. O. M.
HIERONYMO. DE. RUVERE.
S. Petri. ad. Vincula.
Presb. Card.
Taurinen. Archiepiſcopo.
qui. a. pueritia. admirabili. ingenii.
linguarum. ſcientiæ. eloquentiæ.
mox. prudentiæ, ac. doctrinæ.

in-

insignia. dedit. documenta.
virtutisque. &. nominis. sui celebritate.
ita. semper. apud. magnos. Principes.
&. nationes. claruit.
ut. nullo. unquam. honoris. gradu.
non. dignus. haberetur.
Lælius. &. Julius. Fratres.
Patruo. Opt. poss.
Vix. An. LXI. men. XI. d. XXVI.
Ob. VIII. Kal. Feb.
dum. Comitiis. Pontificiis.
in. Conclavi. interesset.
cIↃ IↃ XCII.

In templo S. Gregorii Magni:

D. O. M.
ROBERTO PECHANO
Anglo Equiti Aurato
Philippo & Mariæ
Angliæ & Hispan. Reg.
olim a consiliis, genere,
religione, virtute præclaro,
qui cum patriam suam
a fide Catholica deficientem
adspicere sine summo dolore
non posset, relictis omnib.
quæ in hac vita carissima esse
solent in voluntarium profectus
exilium post sex annos
pauperibus Christi heredibus
testamento institutis
sanctissime e vita migravit

 Idib.

Idib. Sep. Ann. MDLXIX.
ætatis suæ LIV.
Thomas Goldovellus
Episcopus Asaphensis &
Thomas Kirtonus Angli
Testamenti procuratores pos.

Ibidem:

D. O. M.
JOSEPHO. DE POMIS.
indole. &. Patria. Romano.
Viro. ad. aliena. beneficia. nato.
qui. tantum. sibi. vixit. in. orbe.
quantum. mortuus. viveret. in. cœlo.
monumentum.
amoris. in. corde. doloris. in. lapide.
Christophorus. &. Angelus. Gabriel.
Germani. Fratres. posuerunt.
Obiit. Quadragenarius.
Anno MDCXLV. die XVII. Novembris.

In Sta Maria nova, s. Francisca Romana monumentum Papæ Gregorii XI.

Chr. Sal.

GREGORIO XI. Lemovicensi, humanitate, doctrina. pietateque admirabili. qui ut Italiæ seditionibus laboranti mederetur, sedem Pontificiam Avenionem diu translatam, Divino afflatus Numine, hominumque maximo plausu, post annos septuaginta Romam feliciter reduxit, Pont. sui anno VII.

S. P. Q. R.

Tan-

Tantæ religionis, & beneficii non immemor,
Gregorio XIII. Pont. Opt. Max, comprobante.
Anno ab Orbe redempto MDLXXXIV. Pos.

In S. Maria del anima:

KAROLUS. FRIDERICUS. Juliæ. Cliviæ.
&. Montium. Dux. Marchiæ. &.Ravensbergi.
Comes. Ravensteini. Dominus.
ingenio. ac.
supra. ætatem. rerum. &.linguarum. variarum.
usu. singularique. in Deum.
pietate. clarus. Gregorio XIII. Pont. Max.
ad. annum.
Jubileum. Christiani. Orbis. Populos. convocante.
post. adeptus. in Avunculi. sui.
Maximiliani II. Cæs. Aug. Aula. aliisque.
in. locis. varios. honores. religionis. &.optimarum.
disciplinarum. studio.
Romam. veniens. magnificentissime.
apud. Pont. Max. excipitur. reclusa. Porta. Sancta.
in. solemnibus. sacris.
gladio. pileoque. de. more. consecratis.
ab. eodem. Pont. honestatur. omnibus. Christianæ.
pietatis. officiis. perfunctus.
Sanctissimique. Jubilei. beneficio. expiatus.
dum. ad. suos. redire. cogitat. gravi. morbo. correptus. in. terris. ut. cœlo. frueretur.
esse. desiit. ejus. funus. Pont. Max.
benigna. voluntate. qua. venientem. exceperat. &.
ægrotantem. inviseras.
cum. ingens. omnium. Ordinum. Collegiorum. sodalitatum.

frequentia. convenisset. amplissimo. exequiis. &.
pompa. magnifica.
totius. Urbis. summo. mœrore. ac. incredibili.
desiderio. celebratum. est.
Guilielmus. Dux. Filio. dulciss.
majori. Natu. faciund. curavit.

Aliud ibidem:

D. O. M.
ÆGONI. FURSTENBERGIO. Heilgenbergæ. &. Werdenbergæ. Comiti. Lantgravio. Barri. &c. in. Aula.
Serenissimi. Bavariæ. Ducis. Guilhelmi. Sanctiss.
educato. deinde.
Guilhelmum Zimeren. Rudolphi. II. ad. Sixtum. V.
Pont. Max.
Oratorem. Avunculum. religionis. &.
officii. ergo.
Romam. secuto. ··· antequam. vitam. inquinasset.
morte. prærepto.
Frobenius. frater. præsens. funus. pie. curavit.
& supremum.
vale. non. sine lacrymis. dixit.
Joachimus Comes Pater. pientiss. Monumentum.
fieri. jussit.
Vixit. annos XVI. dies LX.
Obiit XII. Augusti M. D. LXXXVI.

In templo al Jesu:

Dilexi decorem domus tuæ Psal. XXV.	ROBERTO *Card.* BELLARMINO Politiano e Soc. Jesu.	Superborum colla virtute calcavi Eccl. XXIV.

Mar-

Marcelli II. P. M.
Sororis Filio
Odoardus
Card. Farnesius
sui erga Virum quem
patris loco semper coluit
amoris nunquam morituri
monumentum pos.
Obdormivit in Domino
Anno Sal. M D C XXI.
æt. suæ LXXIX.

In templo S. Vincentii & Athanasii:

FERDINANDO UGHELLO,
Hujus monasterii Abbati,
Mirare nostri grande Secoli decus,
virtutibus, laboribus, modestia,
cui debet Italia sacros Antistites,
qui traxit e mortis sepulchro tot viros
perire mortis in sinu non potest.
Obiit XIIII. Kal. Jun. M D C LXX. æt. LXXV.
Franc. Episc. Ostien.
de suo cæterisque Italiæ Episcopatibus
b. m. posuit.

INSRIPTIONES PROFANÆ.

In fontem ad thermas Diocletianas:

SIXTUS V. *Pont. Max.* Picenus
Aquam ex agro Columnæ
Via Prænestina sinistrorsum
Multar. collectione venarum

ductu sinuoso a receptaculo
Mill. XX. a capite XXII. adduxit
Felicemque de nomine ante pont. dixit

Cœpit. Pont. An. I. Absolvit III.
MDLXXXVIII.

In Granaria publica ad thermas Diocletianas:

GREGORIUS XIII. *Pont. Max.* adversus annonæ difficultatem subsidia præparans horreum in thermis Diocletianis exstruxit, Anno Jubilei MDLXXV. Pont. sui III.

PAULUS V. *Pont. Max.* adversus majores annonæ difficultates majora subsidia præparans, nova hæc horrea veteribus adjecit. Anno MDCIX. Pontif. sui V.

Thermarum Diocletianarum ævo superstes monumentum ne quid veteris magnificentiæ nova urbis ædificia abolerent, CLEMENS XI. *Pont. Max.* horreis a se constructis fulciri curavit. Anno Sal. MDCCV. Pont. V.

CLEMENS XI. *Pont. Max.* commodiori pub. frumenti custodiæ, cui proxima horrea a *Gregorio XIII. Paulo V.* ac *Urbano VIII.* constructa satis adhuc non erant, novi hujus ædificii accessione consuluit, Anno Sal. MDCCV. Pontific. V.

In stylobata signorum Colosseorum Operum, Phidiæ & Praxitelis, in area Quirinali, *Monte cavalo* vulgo dicta, collocatis:

SIX-

SIXTUS V. *Pont. Max.*
Coloſſea hæc ſigna temporis vi deformata
reſtituit
veteribusque repoſitis Inſcriptionibus
e proximis Conſtantinianis thermis
in Quirinalem aream transtulit
Anno Salutis MDLXXXIX.
Pontificatus quarto.

In Obeliſco Vaticano verſus Baſilicam:

Divo. Cæſari. Divi. Julii. F. Au.
Ti. Cæſari. Divi. Auguſt. F.
Sacrum.
Sanctiſſimæ. Cruci.
SIXTUS. V. *Pont. Max.*
conſecravit.
e. priore. ſede. avulſum.
&. Cæſ. Aug. ac. Tib.
J. L. ablatum.
MDLXXXVI.

In eodem verſus Occidentem:

Chriſtus vincit
Chriſtus regnat
Chriſtus imperat
Chriſtus ab omni malo
plebem ſuam
defendat.

Verſus Meridiem:

SIXTUS V. *Pont. Max.*
Obeliſcum Vaticanum

Dis

DIs Gentium
impio cultu dicatum
ad Apoſtolorum limina
operoſo labore transtulit
Anno M D LXXXVI. Pont. II.

Verſus Orientem:

Ecce Crux Domini
fugite
partes adverſæ
Vicit Leo
de tribu Judæ.

Verſus Septentrionem:

SIXTUS V. *Pont. Max.*
Cruci invictæ.
Obeliſcum Vaticanum
ab impura ſuperſtitione
expiatum juſtius
& felicius conſecravit
Anno MDLXXXVI. Pont. II.

In Obeliſco ante Baſilicam Johannis Lateranenſis, verſus Baſilicam Mariæ Majoris:

SIXTUS V. *Pont. Max.*
Obeliſcum hunc
ſpecie eximia
temporum calamitate
fractum Circi Max.
ruinis humo limoque
alte demerſum multa
impenſa extraxit

Hunc

Hunc in locum magno
labore transtulit
formæque priſtinæ
accurate reſtitutum
Cruci invictiſſimæ
dicavit
A. MDLXXXVIII. Pont. IV.

Verſus noſodocbium:

FL. CONSTANTINUS
Maximus Aug.
Chriſtianæ fidei
Vindex & Aſſertor
Obeliſcum
ab Ægyptio Rege
impuro voto
Soli dedicatum
Sedib. avulſum ſuis
Per Nilum transferri
Alexandriam juſſit
Ut novam Romam
ab ſe tunc conditam
eo decoraret
monumento.

Verſus Baſilicam Lateranenſem:

CONSTANTINUS
Per Crucem Victor
a S. *Silveſtro*
hic babtizatus
Crucis gloriam
propagavit.

Verſus

Versus scalam sanctam:

FL. CONSTANTINUS *Aug.*
Constantini Aug. F.
Obeliscum a Patre
loco suo motum
diuque Alexandriæ
jacentem
Trecentorum remigum
impositum navi
mirandæ vastitatis
per mare Tiberimque
magnis molibus
Romam convectum
in circo max.
ponendum.
S. P. Q. R. D. D.

In Obelisco ante Basilicam Mariæ Majoris:

1. SIXTUS V. *Pont. Max.*
Obeliscum
Ægypto advectum
Augusto
in ejus Mausoleo
dicatum
eversum deinde &
in plures confractum
partes
in Via ad Sanctum
Rochum jacentem
in pristinam faciem
restitutum
salutiferæ Cruci

feli-

felicius
hic erigi jussit
An. D. M. D. LXXXVII. Pont. II.

2. Christus
per invictam crucem
Populo pacem
præbeat
qui
Augusti pace
in præsepe nasci
voluit.

3. Christi Dei
in æternum viventis
cunabula
lætissime colo
qui mortui
sepulchro Augusti
tristis
serviebam.

4. Christum Dominum
Quem Augustus
de Virgine
nasciturum
vivens adoravit
seque deinceps
Dominum
dici vetuit
Adoro.

In Obelisco ante templum S. Mariæ del Popolo, versus Urbis portam, & viam, il Corso, dictam:

Imp.

Imp. Cæsar Divi F.
Augustus
Pontifex Maximus
Imp. XII. Cos. XI. Trib. Pot. XIV.
Ægypto in potestatem
Populi Romani redacta
Soli donum dedit.

Versus Tiberim:

SIXTUS V. *Pont. Max.*
Obeliscum hunc
a Cæsare Aug. Soli
in Circo maximo ritu
dicatum impio
miseranda ruina
fractum obrutumque
erui transferri
formæ suæ reddi
Crucique invictiss.
dedicari jussit
A. M.D.LXXXIX. Pont. IV.

Versus ipsum templum:

Ante sacram
illius ædem
Augustior
lætiorque surgo
cujus ex utero virginali
Aug. Imperante
Sol Justitiæ
exortus est.

In

In Obelisco ad Aream, Piazza Navona, dictum:
Versus Meridiem:

INNOCENTIUS X. *Pont. Max.*
Niloticis ænigmatibus exaratum lapidem
Amnibus subterlabentibus imposuit
ut salubrem
spatiantibus amœnitatem
sitientibus potum
meditantibus escam
magnifice largiretur.

Versus Orientem:

Noxia Ægyptiorum monstra
Innocens premit columba
Quæ pacis oleam gestans
Et virtutum liliis redimita
Obeliscum pro trophæo sibi statuens
Romæ triumphat.

Versus Occidentem:

INNOCENTIUS X. *Pont. Max.*
Natali domo Pamphilia
Opere cultuque amplificata
Liberataque in opportunis ædificiis
Agonali area
Forum urbis celeberrimum
multiplici Majestatis incremento
nobilitavit.

Versus Septentrionem:

Obeliscum
Ab Imp. Ant. Caracalla Romam advectum

cum inter Circi castrensis rudera
confractus diu jacuisset
INNOCENTIUS DECIMUS *Pont. Opt. Max.*
ad fontis forique ornatum
transtulit instauravit erexit
Anno Sal. MDCLI. Pontif. VII.

In *Obelisco ad Stam Mariam supra Minervam versus ipsum templum*:

Veterem Obeliscum
Palladis Ægyptiæ monumentum
e tellure érutum
& in Minervæ olim
Nunc Deiparæ genitricis
foro erectum
Divinæ sapientiæ Alexander VII.
dedicavit Anno Salutis
MDCLXVII.

In *parte postica:*

Sapientis Ægypti
Insculptas Obelisco figuras
Ab Elephanto belluarum fortissima
gestari quisquis hic vides
documentum intellige
robustæ mentis esse
solidam sapientiam sustinere.

In stylobata quadrangulari Columnæ Antonini Pii S. Paulo Apostolo a Pontif. Sixto V. consecrata:

1. SIXTUS V. *Pont. Max.*
Columnam hanc
Cochlidem

Imp.

Imp. Antonino dicatam
misere laceram
ruinosamque primæ
formæ restituit
A. M. D. LXXXIX. Pont. IV.

2. SIXTUS V. *Pont. Max.*
Columnam hanc
ab omni impietate
expurgatam
S. Paulo Apostolo
ænea ejus statua
inaurata in summo
vertice posita D. D.
A. M. D. LXXXIX. Pont. IV.

3. M. AURELIUS *Imp.*
Armenis Parthis
Germanisque bello
maximo devictis
triumphalem hanc
columnam rebus
gestis insignem
Imp. ANTONINO PIO
Patri dedicavit.

4. Triumphalis
& sacra nunc sum
Christi vere pium
discipulum ferens
Qui per crucis
Prædicationem
de Romanis

Barbarisque
triumphavit.

In S stylobata Columnæ ad Mariam Majorem in esquiliis montium:

1. PAULUS QUINTUS *Pont, Max.* Columnam veteris magnificentiæ monumentum informi situ obductam neglectamque ex immanibus templi ruinis, quod Vespasianus Augustus acto de Judæis triumpho & Reipublicæ statu confirmato Paci dicaverat in hanc splendidissimam sedem ad Ecclesiæ Liberianæ decorem augendum suo jussu exportatam & pristino nitori restitutam Beatissimæ Virgini, ex cujus visceribus Princeps veræ pacis genitus est donum dedit æneamque ejus statuam ejus fastigio imposuit Anno D. M D C X I V. Pont. IX.

2. Impura falsi templa quondam Numinis jubente mœsta sustinebam Cæsare, nunc læta veri perferens matrem DEI Te PAULE nullis obticebo seculis.

3. Vasta columnam mole, quæ stetit diu Pacis profana in æde PAULUS transtulit in exquilinum QUINTUS, & Sanctissimæ, pax unde vera est, consecravit Virgini.

4. Ignis columna prætulit lumen piis deserta noctu ut permearent invia, securi ad arces hæc recludit igneas monstrante ab alta sede callem Virgine.

In *stylobata Columnæ Trajani*, S. *Apostolo Petro a Pontif. Sixto V. dicatæ:*

Se-

Senatus Populusque Rom. Imp. Cæsari Divi Nervæ F. Nervæ *Trajano Aug. Germ. Dacico* Pontif. Maximo Trib. Pot. XVII. Imp. VI. Cos. VI. P. P. ad declarandam quantæ altitudinis mons & locus tant . . . . . bus * sit egestus.

* Fortassis ita supplendum *tantis operibus.*

In Arcu triumphali Septimii Severi & M. Aurelii in Campo Vaccino :

Imp. Cæs. Lucio. Septimio. M. Fil. Severo. Pio. Pertinaci. Aug. Patri Patriæ Parthico Arabico & Parthico Adiabenico Pontif. Maximo Tribunic. Potest. XI. Imp. XI. Cos. III. Procos. &. Imp. Cæs. M. Aurelio. L. F. Antonino Aug. Pio. Felici. Tribunic. Potest. V. Cos. Procos. P. P. optimis fortissimisque Principibus ob Rempublicam restitutam imperiumque Populi Romani propagatum insignibus virtutibus eorum domi foris S. P. Q. R.

In Arcu triumphali Septimii Severi & Marci Aurelii in foro boario :

Imp. Cæs. L. Septimio. Severo. Pio. Pertinaci. Aug. Arabic. Adiabenic. Parth. Max. fortissimo felicissimo Pontif. Max. Trib. Potest. XII. Imp. XI. Cos. III. Patri Patriæ. &. Imp. Cæs. M. Aurelio Antonino Pio. Felici Aug. Trib. Potest. VII. Cos. III. P. P. Procos. fortissimo felicissimoque Principi & Juliæ Aug. Matri Aug. N. & castrorum & Senatus & Patriæ & Imp. Cæs. M. Aurelii Antonini Pii. felicis. Aug. Partici Maximi Brittannici. Maximi. Argentarl & Negotiantes Boarl hujus loci (qui invehent) devoti Numini eorum.

In Arcu Triumphali Titi Vespasiani:

S. P. Q. R.
D. Tito D. Vespasiani F.
Vespasiano Augusto.

In Arcu triumphali Constantini M.

Imp. Cæs. Fl. Constantino, Maximo.
P. F. Augusto S. P. Q. R.
Quod. instinctu. Divinitatis. mentis.
magnitudine. cum. exercitu. suo.
tam. de. tyranno. quam. de. omni. ejus.
factione. uno. tempore justis.
Rempublicam. ultus est. armis.
Arcum. triumphis. insignem. dicavit.

In Arcu Gallieni; s. di Santo Vito.

Gallieno. clementissimo. Principi.
cujus. invicta. virtus.
sola. pietate. superata. est.
&. Saloninæ. Sanctissimæ. Aug.
M. Aurelius. Victor.
dedicatissimus.
Numini Majestatique.
eorum.

Supra Portam Majorem & Sti Laurentii:

S. P. Q. R.
Impp. Cæs. DD. NN. invictissimis. Principibus.
Arcadio. &. Honorio. victoribus. &.
Triumphatoribus. semper. Augg. ob instauratos.
Urbis. æternæ muros portas. &. turres. egestis.
immensis. ruderibus. ex. suggestione.

V. C.

V. C. & inluſtris. Comitis. ac. Magiſtri.
Utriusque. militiæ. Stiliconis. ad. perpetuitatem.
Nominis. eorum. ſimulacra. conſtituit.

Sub ſtatuis ante Capitolium collocatis:

S. P. Q. R.
ſimulacra caſtrorum
ruderibus in theatro PompeI
egeſtis reperta reſtituit
& in Capitolio poſuit.

Sub duabus aliis ibidem:

SIXTI V. *Pont. Max.* autoritate Trophæa C. Marii VII. Coſ. de Teutonis & Cimbris ex colle Esquilino & ruinoſo Aquæ olim Marciæ caſtello in Capitolium translata erectis baſibus illuſtri loco ſtatuenda curavere.

Paulus Æmilius Zephyrus
Hieronymus Moronus } Conſſ.
Pompejus Cavallerius

Dominicus de Capite-ferreo Prior
An. Salut. MDXC.

In ſtatua equeſtri Imp. Antonini in area Capitolii:

Imp. Cæſari. Divi. Antonini. F. Divi. Hadriani. Nepoti. Divi. Trajani. Parthici. Pronepoti. Divi. Nervæ. Abnepoti. M.Aurelio. Antonino. Pio. Aug. Germ. Pann. Pont. Max. Trib. Pot. XXVII. Imp. VI. Coſ. III. P. P. S. P. Q. R.

Et *in parte poſtica:*

PAULUS III. *Pont. Max.* ſtatuam æneam

equestrem a S. P. Q. R. Antonino Pio etiam tum viventi statutam variis dein Urbis casib. eversam & a Sixto IIII. Pont. Max. ad Lateran. Basilicam repositam ut memoriæ optimi Principis consuleret, patriæque decora atque ornamenta restitueret, ex humiliori loco in aream Capitolinam transtulit atque dicavit.

Ann. Sal. MDXXXVIII.

In *Atrio Capitolii ad dextram in pariete:*

CLEMENS XI.
Romæ de Dacia triumphantis
captivorumque Numidarum Regum statuas
ex hortis Cæsiis
addito Ægyptiorum signorum ornatu
porticuque a fundamentis excitata
ad augendam Capitolii majestatem
transtulit
Anno Salut. MDCCXX.

Ibidem sub manu quadam Colossi ænea:

Ærei Colossi fragmentum
Commodi Imperatoris effigiem
repræsentans,
antiquæ Romanorum
magnificentiæ indagatoribus
restitutum.

Sub Agrippinæ arca sepulcbrali:

AGRIPPINÆ
Virilis animi fœminæ
quæ voluntaria inedia

fru-

frumenti usum & vitæ sibi ademit
sepulchrali hoc lapide
translato e mausoleo Augusti excavatoque
dimensus est CCC frumenti pondo.
rudi olim seculo
S. P. Q. R.
eundem jam alia ætate literis
perpolita
expoliendum ornandumque curavit.

Dedicatio Capitolii:

S. P. Q. R.
Capitolium præcipue Jovi olim commendatum
Nunc DEO vero
cunctorum bonorum Autori
JESU CHRISTO
cum salute communi supplex
tuendum tradidit
Anno post Salutis initium
MDLXVIII.

Sub *porticu Capitolii ad dextram in marmore*:

Innocentio XI. Pont. Max. Opt. Quod in Vienna Romani Imperii Principe urbe irrequieta vigilantia prudenti consilio ingenti auro precibus lacrymisque DEI implorato auxilio anno reparatæ Salutis MDCLXXXIII. ab immanissima Turcarum obsidione vindicata laboranti Catholicæ Religionis securitati providerit feliciter regnante Leopoldo Primo Cæsare Augusto Christianas acies ducente Joanne tertio Poloniæ Rege semper invi-

cto fortiterque pugnante Carolo IV. Duce Lotharingio S. P. Q. R. P.

In Frontispicio Capitolii:

CLEMENTI VIII. *Pont. Max.*
Post Galliæ regnum reconciliato Rege
Henrico IV. constitutum
Pannoniam armis auxiliaribus servatam.
Strigonium a Turcarum tyrannide vindicatum
Ruthenos & Ægyptios Ro. Ec. restitutos
Pacem compositis Regum Maximor. discordiis
Christianæ Reip. redditam
Ferrariam Petri Aldobrandini Card. ductu
ferro incruento receptam
sanctissimaque præsentia constabilitam
optato reditu in urbem pub. hilaritatis
securitatisque reductori
Anno MDXCVIII.

Supra in Palatio Capitolii:

CHRISTINÆ
Gothorum Suecorum & Vandalorum
Reginæ
quod instinctu divinitatis
Catholicam fidem regno avito præferens
post adorata SS. Apostolorum limina
& submissam venerationem
Alexandro VII.
Summo Religionis Antistiti exhibitam
de se ipsa triumphans in Capitolium adscenderit
Majestatisque Romanæ monumenta
vetustis in ruderibus admirata

III.

III. Viros consulari potestate & senatum
tecto capite considentes
Regio honore fuerit prosecuta.
VIII. eid. Quinctil. An. MDCLVI.
S. P. Q. R.
Stephano Petruccio
Josepho de Annibaldensibus ex Dmnis Castri
Zancati
Fabritio de Maximis ex Dmnis Castri Arsuli
conservatoribus
Joanne Carolo de Piccolominibus ex Dmnis Castri
Balzerani
Capitum Regionum Priore.

Sub *Capite Scipionis marmoreo*, muro Capitolii una cum aliis fragmentis infixo:

Scipionem Africanum
cum hisce trophæorum reliquiis
& Pallade conciliata
comite triumphantem ad
Capitolium in imagine
hac veluti umbra reducem
e museo suo exhibuit
Franciscus Gualdus Ariminen.
Eques S. Stephani Anno cIɔ Iɔc LV.

Supra portam loci cujusdam pii, alendis puellis destinati:

CLEMENS XI. *Pont. Max.*
periclitantes puellas per urbem collectas
ac olim apud Velabrum Inn. XII. P. M. jubente
locatas

ut amplioribus
salubrioribusque ædibus custodirentur
huc transtulit.
Anno Sal. MDCCXV. Pontif. XV.

In Muro Xenodochii Vulneratorum:

ALEXANDRO VII. *P. O. M.*
qui
ut corporum valetudini paterna charitate consuleret
quemadmodum Pastorali sollicitudine
pro animarum salute quotidie invigilat
huic Xenodochio diplomate suo concessit,
annexam viam nocturno tempore
transversis catenarum repagulis custodiri,
ne prætereunte strepitu quies
amica silentii
omnino ab ægrotantibus exularet.
Anno Domini MDCLXI. Pontificatus VI.

In *Xenodochio SS. Trinitatis:*

D. O. M.
Magnificum hic habes Viator
Christianæ pietatis exemplar
dignumque quod in aurea manu imitetur,
qui divinæ caritatis aurum habet in corde.
MICHAEL POLETIUS
Civis Mutinensis
ex Evangelicæ vocis oraculo
in pauperibus & peregrinis Christum ipsum
latere cognoscens
postquam ad octuagesimum vitæ annum

pau-

pauperibus & peregrinis
in hac ſacra domu amanter inſerviiſſet,
ut ſibi cœleſtis gloriæ æternam hæreditatem
obtineret
ſuarum omnium facultatum ipſos moriens
vocavit & ſcripſit hæredes.
Eximio & pio benefactori
gratum hoc monumentum Archiconfr. P.
Anno D. cIɔ Iɔc LXXXIII.

In Palatium Pontificium, in monte Cittorio ſitum:

INNOCENTIO XII. *P. O. M.*
hac in æde plura complexo
ornamentum urbis
tribunalia in unum collecta
cenſum hoſpitiis pauperum
de magnificentia,
juſtitia, miſericordia
optime merito.

In *Porticu ex marmore conſtructo* prope telonium Pontificium:

CLEMENTI XI. *Pont. Max.*
quod veteri navium ſtatione
ad tumulum Cæſarum magnifice reſtituta
civium commodis urbis ornamento
proſpexerit
Curatores viarum poſuere anno Salutis
MDCCIV.

Ad ſcalas Palatii Conneſtabilis Colonnæ vides in parie-

pariete *caput Medusæ* ex porphyrite ſ. lapide Lydio fabrefactum, quod in antiqua Neronis domo aurea repertum fuit, cum hac inſcriptione:

In hac aurea domo Memoriam
Neronis habes, non facta. Meduſæ
Caput, non damna. Monumentum
Huic ſolo datum eſſe, placare Meduſas,
Non ferre Nerones.

Supra portam del Popolo verſus viam Flaminiam:

PIUS IV. *Pont. Max.*
Portam in hanc amplitudinem extulit
Viam Flaminiam ſtravit. An. III.

Verſus urbem:

Felici fauſtoque ingreſſui
Chriſtinæ Svecorum Reginæ An. D. 1655.

In Pariete prope templum Stæ Mariæ del Popolo:

Subjectum ut audax indicem fluvius ſui tetigit ſibi æquus proximo at depreſſior fonte imus inquit altius vinci haud decet famam aucupabor omnium cœlo fruar propinquiore & ſeculo tradar novo meminiſſe quantum vieta non ætas poteſt Notas Quirine hic imprime, hic tybris fui. Ex IX. Kal. Januar. cIↄ Iↄ XCVIIII. Clementis VIII. P. M. Anno VII.

In Bibliotheca Vaticana duabūs tabulis marmoreis leges vides a Papa Sixto V. latas.

I.

SIXTI V. *Pontif. Max.* perpetuo hoc decreto de li-

de libris Vaticanæ Bibliothecæ conſervandis, quæ infra ſunt ſcripta, hunc in modum ſancta ſunto, inviolateque obſervantor.

Nemini libros, codices, Volumina hujus Vaticanæ Bibliothecæ ex ea auferendi, extrahendi, aliove aſportandi, non Bibliothecario, neque Cuſtodibus, ſcribisque neque quibusvis aliis, cujusvis ordinis fas eſto. Si quis ſecus fecerit, libros partemve aliquam abſtulerit, extraxerit, erepſerit, rapſeritque, concerpſerit, corruperit dolo malo, illico a fidelium communione ejectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus eſto. A quoquam præterquam a Romano Pontifice ne abſolvitor.

II.

SIXTUS *Pontifex Maximus* Bibliothecam Apoſtolicam, a Sanctiſſimis prioribus illis Pontificibus, qui Beati Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiæ primordiis inchoatam, pace Eccleſiæ reddita, Laterani inſtitutam, a poſterioribus deinde in Vaticano, ut ad uſus Pontificios paratior eſſet, translatam, ibique a Nicolao Quinto auctam, a Siſto Quarto inſigniter excultam, quo fidei noſtræ, veterum, Eccleſiæ diſciplinæ rituum documenta omnibus expreſſa, & aliorum multiplex ſacrorum copia librorum conſervarentur, ad puram & incorruptam fidei veritatem perpetua ſucceſſione in nos derivandam, toto terrarum orbe celeberrimam, cum loco depreſſo, obſcuro & inſalubri ſita eſſe aucta peramplo veſtibulo, cubiculis circum & infra, ſcalis, porticibus, totoque ædificio a fundamentis exſtructo, ſubſelliis, pluteis-

teisque directis, libris dispositis in hunc editum, perlucidum, salubrem, magisque opportunum locum extulit, picturis illustribus undique ornavit, liberalibusque doctrinis & publicæ studiorum utilitati dicavit. Anno 1588. Pontificatus ejus anno tertio.

In Porticu hujus Bibliothecæ *ad dextram* in pariete:

ALEXANDER VII. *Pont. Max.* antiqua omnis generis omniumque linguarum Urbinatis Bibliothecæ Manuscripta Volumina perpenso cedentibus beneficio ad tutiorem custodiam atque perpetuitatem Vaticanæ adjunxit. Anno Salutis MDCLVIII.

Ibidem *ad lævam* e regione præcedentis Inscriptionis:

URBANUS VIII. *Pont. Max.* complura Palatinæ Bibliothecæ Volumina nobiles Heidelbergicæ victoriæ manubias Gregorio XV. & Apostolicæ sedi a Maximiliano Bavariæ Duce donata Romam advexit opportunis armariis in Vaticano conclusit locum rudem antea atque informem in hanc speciem redegit & perspicuo specularium nitore exornavit. Anno D. MDCXXIIII. Pont. I.

Super portam Bibliotheca Monachorum Ordinis St. Dominici ad Stam Mariam supra Minervam:

CLEMENTI XI. *Pont. Max.*
Christianæ ac literariæ Reipubl.
Principi,

quod

quod hanc ſtudiorum altricem domum
excelſo animo complexus
nova Bibliothecæ Caſanatenſi decora
indulſerit
codices ſeu prælo excuſos
ſeu exaratos manu
compoſita in raptores execratione
ſartos tectosque præſtiterit
pravæ ſectæ ac vetitæ lectionis libros
ſervari permiſerit
hoc ſanctioris ſapientiæ delubrum
vicaria Numinis Majeſtate
non ſemel impleverit
Præd. Ordo æternum devinctus
poſuit Anno MDCCX.

Ad ſcalas hujus Bibliothecæ:

INNOCENTIO XII. *Pont. Max.*
Hieronymus Caſanate Neapolitanus,
S. R. E. Presb. Card. & Bibliothecar.
literarum imperium aucturus
bibliothecam
Romanæ magnitudini parem
in hac æde Minervæ
rem publicam fecit
Athenæum
Romanis arcibus addidit
ut quæ religione ac fide
cunctis late gentibus imperat
Sacrorum Domina
literarum etiam gloria

O tri-

triumpharet
Anno MDCC.

Sub statua Cardinalis Casanate in Bibliotheca ipsa:

Hieronymo S. R. E. Card. *Casanate*
Mæcenati Optimo
Literarum Parenti ac Patrono
munificentissimo
quod
instituto Divi Thomæ Gymnasio
arcem sapientiæ super Minervam
erexerit,
Bibliothecam
sacrum totius eruditionis ærarium
extruxerit
binas Angelicæ doctrinæ cathedras
dotarit
senos variarum gentium Theologos
in Apostolicæ sedis obsequium
Romam adsciverit·
Prædicatorum Ordo
suprema liberalitate auctus
perenne grati animi monumentum
Anno MDCCVIII.

Ibidem super librum quendam lateritium, a duobus Angelis sustentatum:

CLEMENS XI. *Pont. Max.*
Post conlata semper in bonas artes ac disciplinas
ingentia beneficia
in literatorum vota descendens
vicesimi Pontificatus anni

ini-

initium fecit
bibliothecam
ſuprema
Cardinalis Caſanate Mæcenatis optimi
voluntate
publico uſui dicatam
in vaſtiorem magnificentioremque formam
reddi voluit
priſtinis ædibus
licet amplitudine maximis
Principis tamen munificentiſſimi
liberalitate
etiam poſt fata perenni
adhuc longe minoribus
novæ molis acceſſione adauctis.

In Fronte Archi-Gymnaſii, quod Sapientia vocatur in marmore:

ALEXANDRO VII. *Pont. Max.*
ob ædem ſapientiæ
toto ambitu perfectam
& bibliotheca
hortoque Medico inſtructam
Sacri Conſiſtorii Advocati
poſſ. MDCLX.

Sub buſto marmoreo Pontif. Alexandri VII. in Bibliotheca ad Sapientiam aſſervato:

ALEXANDER VII. *Pont. Max.*
quod poſt urbem a peſtilentia vindicatam
& ad ſummam elegantiam nitoremque
multiplici opere perductam

post emendatos populi mores
& Cleri disciplinam divinumque cultum
sanctius ordinatum
aliaque complura liberaliter posita
ac salubriter instituta
ne quid vel ad civium commoditatem
vel ad amplitudinem urbis deesset
liberalibus disciplinis & bonis artibus
publice alendis excolendisque
Gymnasii ædificationem absolverit
Bibliothecam instituerit instruxerit dicarit
Sac. Consist. Aulæ Advocati poss.
Anno Sal. MDCLXI.

Libros omnigenæ eruditionis a *Francisco Maria II. Urbini* Duce summo studio conquisitos
ALEXANDER VII. *Pont. Max.*
Ut splendidiori illorum cultui & Reipublicæ
literariæ bono
consuleret, cum hisque consociatos & permistos
in Romanæ Sapientiæ Archi-Gymnasio
a se condita instructaque bibliotheca
publica luce donavit.

In Globo æneo, ubi fuere cineres Trajani, cum statuis quæ ante Capitolium collatæ conspiciuntur:

Hoc in Orbiculo olim Trajani cineres jacebant. Nunc, non cineres, sed Memoria jacet. Tempus cum Cinere Memoriam sepelivit. Ars cum tempore non Cinerem, sed Memoriam instaurat. Magnitudinis enim non reliquiæ, sed umbra vix ma-

manet, cinis cineri in una ætate moritur; Memoria cineris in aere arte revivifcit.

In hortis Vaticanis, fupra fontem, ex Lydio lapide conftructum:

JULIUS II. *Pont. Max.*
Labrum lat. pedum CC XXXV.
a Titi Vefpafiani Thermis in Carinis
Temporum injuria confractum
in Vaticanos hortos adduxit, primamque
in formam reftituit, ornavitque
Pont. fui Anno I. MDIV.

In *Arcu primario Aquæductuum* ad Villam Pamphiliam verfus urbem:

PAULUS V. *Romanus Pontifex Opt. Max.*
Aquæductus ab Augufto Cæfare extructos, ævi longinqua vetuftate collapfos, in ampliorem formam reftituit
Anno Salutis MDCIX. Pont. V.

Verfus modo dictam Villam:

PAULUS V. *Romanus Pontifex Opt. Max.*
Priori ductu, longiffimi temporis injuria plane diruto,
fublimiorem, firmioremque a fundamentis erexit
Anno Salutis MDCIX. Pontif. V.

In *Villa Borghefia*, ante Portam Pincianam:

Villæ Burghefiæ Pincianæ
Cuftos hæc edico
Quisquis es fi liber

Legum compedes ne hic timeas
Ito quo voles carpito quæ voles
abito quando voles
Exteris magis hæc parantur quam hero
in aureo ſeculo ubi cuncta aurea
temporum ſecuritas fecit
bene morato hoſpiti
ferreas leges præfigere herus vetat
Sit hic amico pro lege honeſta voluntas
Verum ſi quis dolo malo
lubens ſciens
aureas urbanitatis leges fregerit
caveat ne ſibi
teſſeram amicitiæ ſubiratus Villicus
advorſum frangat.

In Villa Borgheſia Montis Draconis oppiduli *Fraſcati*, dicti, in pariete porticus:

Theſſala quid Tempe, quid quæris Adonidis hortos?
Hæc tibi pro cunctis Villa Draconis erit.

Aliud ibidem:

Heſperidum noſtris quantum viridaria cedunt,
Cuſtos eſt tanto mitior ore Draco.

Adhuc aliud, Autore, ut fertur, ipſo Papa Paulo V:

Hac ſubit impoſiti & ponit cum pondera mundi
Paulus, ab acceſſu ſubtrahe cura pedem.

In *Villa Aldobrandina*, dicta Belvedere, ejusdem oppiduli Fraſcati, & quidem in fronte Palatii:

Pe-

Petrus Card. Aldobrandinus S. R. E. Camer. Clementis VIII. Pont.Max.Fratris F. ad allevandam opportuno secessu urbanarum curarum molem Ferraria in potestatem sedis Apostolicæ redacta Pace Christianæ Reip. restituta amœnitatem loci Villa & magnificis extructis operibus aqua etiam corrivata & ab algido ducta cæteroque accuratissimo cultu decoravit.

In *hortis Villæ Mæcenatis* in oppidulo, *Tivoli* dicto, sitæ, supra portam antri cujusdam in marmore:

Regios Estensium Principum hortos immenso Card. Hippolyti sumtu præruptæ rupis asperrimis cautibus in mollissimi clivi pensiles ambulationes conversis ac terebrati per montis viscera ductis ex Aniene innumeris fontibus admirandos ab Aloysio & Alexandro Cardinalibus magna splendidi cultus accessione nobilitatos.

Supra fontem in Monte Janiculo:

PAULUS V. *Pont. Max.*
Aquam in agro Braccianensi
saluberrimis e fontibus collectam
veteribus aquæ Alsietinæ ductib. restitutis
novisque additis
XXXV. ab milliario duxit
Anno Dom. MDCXII.
Pontificatus sui septimo.

Non procul *a templo S. Francisci, a Ripa grande* dicti, monumentum sequens:

PAULO V. *Pont. Opt. Max.*

Quod Urbem augustissimis templis & ædificiis illustraverit; Transtiberinam regionem uberrimis rivis, ex agro Brachiano supra Janiculum ductis, irrigaverit, noxiis olerum hortis in pomaria domosque distributis, Cœlo salubritatem reddiderit, privatorumque censum auxerit; viis qua apertis, qua amplificatis, directisque, insignia SS. Benedicti & Francisci Monasteria, Portamque Portuensem in nobiliorem prospectum dederit, expedito utroque Fabricii pontis aditu & scalis ad Tiberis alveum deductis, civium, peregrinorum, nautarum commodis consuluerit

S. P. Q. R.

Publicis ad Deum votis atque muneribus
felicitatem precatur MDCXI.

In lorica Pontis Aurelii sive Janiculi, hodie *Sixti* dicti, incisum:

M CCCC LXXV.

Qui transis Sixti IV. beneficio, Deum roga,
ut Pontificem
Optimum Maximum diu nobis salvet ac sospitet,
bene Vale,
quisquis es, ubi hæc precatus fueris.

SIXTUS IV. *Pont. Max.*

Ad utilitatem P.R. peregrinæque multitudinis, ad Jubileum venturæ, Pontem hunc, quem merito Ruptum vocaverant, a fundamentis magna cura & impensa restituit, Sixtumque suo nomine appellari voluit.

In

In Ponte Sta Mariæ:

Ex Autoritate GREGORII XIII.
Pontificis Maximi,
S. P. Q. R.
Pontem Senatorium, cujus fornices vetustate collapsos, & jam pridem refectos, fluminis impetus denuo dejecerat, in pristinam firmitatem ac pulchritudinem restituit.
Anno Jubilei MDLXXV.

In Ponte Ælio:

CLEMENTI IX.
Pont. Opt. Max.
Ælio ponte ad Sancti Angeli arcem Angelorum statuis
redemptionis mysteria præferentibus exculpto & exornato,
quod sine ejus titulo & insignibus opus absolvi
ex animi moderatione mandaverit
Clemens X. P. M.
ut beneficentissimi Principis memoria extaret
Posuit Anno MDCLXXII.

In fontem Monasterii S. Petri ad Vincula:

Disce hospes aquæ hujus perennitatem
e scatebra inexhausta
ea est *Cardinalis Barberini* liberalitas.
Disce suavitatem
eam apes profundunt.
Sapor in aquis cæteris vitium
in hac mel & nectar est.
Nulla melior influat in hortos aqua

dum apes propinant,
melleam flores usuram bibunt.
D. *Thomas Mentius Abbas Generalis*
gratiæ referendæ sistens F.
A. D. MDCXLII.

Ibidem in altera parte:

Siste adhuc paulisper, & disce hujus aquæ metamorphosin.
Vivo Antonio Card. erat mellea
Barberinis manans ex apibus,
Mortuo evasit amara
nostris permista fletibus.
Nec amisit suavitatem
suaves enim sunt amoris lacrymæ
quæ cum perpetuo fluere non possunt ex oculis
cum hujus aquæ perennitate funduntur.
Etiam nunc rigat flores
cum purpuratos irrigat cineres
qui cum nominis æternitate compositi
vel in sepulchro redolent immortalitatem.
Can. Reg. S. Salvatoris
Suo per triginta & octo annos benefico Protectori
grati animi monumentum posuere
sub R. P. D. *Jo. Andrea Gallia Veneto Generali tertio*
A. D. MDCLXXI.

In fontem ad Pontem Sixti:

PAULUS V. *Pont. Max.*

Aquam munificentia sua in summum Janiculum perductam citra Tiberim totius Urbis usui deducendam curavit.

An-

Anno Sal. MDCIX. Pont. V.

Supra portam novorum Carcerum:

Justitiæ & Clementiæ
securiori ac mitiori Reorum custodiæ
Novum Carcerem INNOCENTIUS X. *Pont. Max.*
Posuit
Anno Domini MDCLV.

In novum Portum di Ripetta ad Tiberim:

CLEMENTI XI. *Pont. Max.*
Quod veteri navium statione
ad tumulum Cæsarum magnifice restituta
civium commodis Urbis ornamento
prospexerit
Curatores viarum posuere Anno salutis
MDCCIV.

In Amphitheatro versus Capitolium:

Amphitheatrum Flavium
Non tam operis mole ac veterum spectaculorum
memoria
quam sacro innumerabilium martyrum cruore
illustre
venerabundus hospes ingredere
& in augusto magnitudinis Romanæ monumento
execrata Cæsarum sævitia
Heroës fortitudinis Christianæ
suspice & adora
Anno Jubilæi MDCLXXV.

Ibidem ex altera parte versus Lateran:

Am-

Amphitheatrum hoc vulgo
Colosseum
ob Neronis colossum
illi appositum
verius ob innumerabilium SS. Martyrum
in eo cruciatorum memoriam
crucis trophæum
Anno Jubilæi M D C LXXV.

In *Sepulchro C. Cestii* ante Portam Sti Pauli s. Trigeminam:

C. Cestius L. F. Pub. Epulo Tr.
Pl. VII. Vir Epulonum

Paulo infra:

Opus absolutum ex testamento diebus 330. arbitratu
Ponti
P. F. Clamenæ Heredis & Ponti L.

Adhuc infra:

Instauratum Anno Domini M D C LXIII.

VITERBIUM.

INSCRIPTIO PROFANA.

In Curia Urbis:

Æternæ memoriæ inclytæ *Mathildis*, quæ ob præstabile Religionis studium ac pietatem Sedi Pontificiæ suum hoc Patrimonium D. Petri in Thuscia dein nuncupatum elargitur, & in veterem urbis hujus splendorem intuens Paschalis II. Bleden. Pontifex Maximus ejus Metropolim ut ante Viterbium constituit. Anno Salutis M. C. X I I I.

SENÆ

SENÆ (SIENA.)

INSCRIPTIONES SACRÆ.

In *ſuggeſtum pervetuſtum Sti Bernhardini in Baſilica* aſſervatum:

Fulgurantibus pro Jeſu
vocibus, quas admirante
patria
cœleſti miſit ex ore
Bernhardinus
ſuggeſtum hoc olim reſonans
ſpectator ſi pius
recolenti animo
venerare.

In Porta quadam hujus Baſilicæ:

Annus centenus Romæ ſemper eſt Jubilænus,
Crimina laxantur, cui pœnitet iſta donantur,
Hæc declaravit Bonifacius & roboravit.

In *Porta Bibliotheca* huic Baſilicæ vicinæ ſub hiſtoriam Adami & Evæ:

Deum Maximum & Poſteros offendi:
Utriſque debeo, & neuter mihi.

INSRIPTIONES PROFANÆ.

In *Collegio apud Jeſuitas* parietibus inſcriptæ ſunt ſequentes:

1. CLEMENS VII. *Medic.*
Commendant hanc effigiem
Qui ejus formidant aſpectum

Lu-

Lutherus ex Sacerdote Sacrilegus
Henricus ex fidei defenſore
Deſertor.
Illam tamen, non tam hoſtium infamia
Quem Neptis fama
Immortalitatis collocat in theatro.

2. FERDINANDUS I.
Magnus Dux Hetruriæ:
Duplicem ne unus Imaginem Princeps?
An duplicem Principem una exhibet
Imago ?
Romane Purpuratum dixerit Patrem
Qui Hetruſco ſedet in ſolio ?
Suumne Regem compellaverit Hetruria
Qui Romano fulget in murice?
Nec Romæ, nec Hetruriæ adjudicetur Ferdinandus,
Ut totius victoriæ immortalitati
tribuatur.

3. COSMUS I. *Magnus Dux Hetruriæ:*
Cosmus Medicei Autorem Imperii
Nusquam minus reperies
Quam in mortis theatro.
Cœlum anima, terram fama
Utrumque meritis tenet.
Adeſt hic tamen tanti Principis effigies
Sed quæ in Victoria
Non mortis, ſed immortalitatis
expleat pompam.

4. FRANCISCUS *Magnus Hetruriæ Dux:*
Mortis & immortalitatis effigiem

Hoc

Hoc uno habes in Principe;
Qui dum virilem ſobolem negat Hetruriæ,
Dum muliebrem tribuit Galliæ,
Alieno vivit in Regno, obit in ſuo.
Hoc infortunio, illud Fortunæ tribuatur.
Virtuti debeat,
Quod in Victoria
Obit, & vivit immortalis.

5. FERDINANDUS II.

Ad immortalitatem vadenti
Immortalitatis exemplum objicitur.
Ferdinandus
Regni fortuna, animi dotibus
ſane immortalis.
Ut ſe vero ab Immortalitate nunquam divideret,
in Victoria
Ipſam ſibi immortalitatem connubio
copulavit.

6. COSMUS *ſecundus Magnus Hetruriæ Dux.*

Spectatne an ſpectatur
Quam hoc in theatro cernis effigiem?
Spectat Victoriam, quam Filio jungit,
Spectatur in Victoria, quæ Avunculum refert.
Spectentur ambo.
Coſmus in Victoria, Victoria in Coſmo.
Par vere dignum immortalitate,
Quam donet altera, quam alter accipiat.

7. SIXTUS V. *Robor. P. M.*

Immortalitatem prior accipit a Nepte,
Qui prior Nepti contulit,

Quo

Quo hæret immortalis.
Frigidos adhuc Sixti cineres horret Oriens
Miratur Occidens.
Meliori tamen obſequio proſequitur Hetruria
Dum Victoriæ cineribus immiſcet.

8. JULIUS II. *Robor. P. M.*

Stantem decet Cæſarem mori:
Stare Pontificem etiam mortuum,
Ubi mortis theatrum
Aperit Victoria immortalis.
Pontificis autoritas
Quæ animata pugnavit in Avo
Inermis triumphet in Nepte.

9. CATHARINA *Gallorum Regina.*

Valeſios Reges extinctos ne plores
Gallia,
Quam dignam illis Parentem tribueret,
Poſt hanc natura non habuit.
Tantum Hetruſco e ſanguine virtutum incre-
mentum
Duxerunt Regales Partus,
Ut cum unde creſcerent non haberent,
Deficere maluerint, ne minueretur
Majeſtas
Surgant hac in Parente Regales Pueri
Et in hoc mortis & immortalitatis theatro
Ut mortem neſciant,
Immortalitatem a Victotia mutuentur.

10. FRANCISCUS Ma. ROBOREUS
P. S. Urbini Dux.

Vice-

Vicerunt alii Mortem, Hic etiam immortalitatem.
Ea fuit tanti Principis gloria,
Ut non illi post mortem, Fama sed Famæ Fides
defuerit.
Proavi meritis fidem conciliet Neptis
Majorem hæc se præstitit, eo
Qui vix parem habiturus crederetur.

11. FRANCISCUS Ma. ROBOREUS, III.
Dux Urbini.

Huc spectet Orbis!
Franciscum Maria ex Principe ultro privatum,
sed in privato majorem adhuc Principem;
Ut Regni tranquillitati post mortem consuleret,
Regno vivens concessit.
Multa in Principatu, multa post Principatum
Sui monumenta reliquit.
Unum tantummodo, in quo staret immortalis,
Nepte videlicet
Optimis moribus instituta.

12. FRIEDERICUS *Urbini Princeps.*

Immortalitatis Candidatus,
Mortales honores dedignatus
Obiit nondum inito Principatu.
Breve populorum gaudium, longum desiderium.
Regni successorem reliquit
Sui luctum & desiderium.
Brevissimam in se
Immortalitatem in Filia
Consecutus ætate.

13. GUIDOBALDUS *Robor. II. Urbini Dux.*

Rari post cineres honores, sed veri.
Imo veri, quia rari.
Surgat igitur e cineribus inclytus Heros,
Ut veros nec raros honores consequatur.
Ad immortalitatis theatrum cum Proavis
Illum advocat Victoria.
Neptis Proavum, Proavus Neptem gratuletur
Simul nunc vivant immortales
Qui olim vixerunt immortalitate divisi.

14. LEO P. M.

Aspice Hetruria
Aperit immortalitati Theatrum
Tuus hic munificentissimus Pontifex
Donis vel post mortem profusus.
Det Leo cæteris immortalitatem
Ipse ab una recipiat.
Utroque felix,
Et quod plures habeat, quos decoret,
Et quod unam, a qua decoretur.

15. JOHANNES ROBOR *Urbini Præfectus Urbini Ducis Filiæ Conjux.*

Veteres Præfectos requiris Roma?
Tuus iste novus Præfectus
sua exprimit in imagine Veteres omnes,
sed optimos.
Regnum in Dotis pretium ab aliena Familia
Immortalitatem in virtutis præmium.
Intra propriam consecutus;
Una videlicet Nepte,
Extra mortalitatis conditionem constituta.

16. MA-

16. MARIA *Gallorum Regina.*

Novam Regum sobolem miraris
Gallia
Ut nihil tibi desit calamitatis
In Catharina Valesios amittis
Ut omnis in te defluat felicitas,
In Maria Borbonios accipis Reges.
Utrumque Mediceo Sanguini debes;
& summam calamitatem, & summam felicitatem.
Alteram, quod ille deficiat, alteram, quod regnet.
Unum Victoriæ debet Mediceus Sanguis,
Summam scilicet felicitatem.
In illa siquidem
Vel per ipsa funera consequatur Immortalitatem.

LIBURNUM.

Ad *ædes publicas in Portu:*

Mercatores
huc alacres advolate
hic sacer annonæ copiæque locus
commoditate ac decore vos allicit,
atque hisce in ædibus habitans
comiter invitat Hetrusca felicitas
COSMUS III. *M. D. Etr. VI.*
Ædes Salanas a Ferd. I. Proavo suo conditas
aucta a se, munitaque Urbe
laxiores ut essent magnificentioresque
a fundamentis erexit
A. S. cIↄ Iↄc XCV.

In *limite ditionis Ecclesiæ versus Mutinam:*

Viator
hic est limes agri Bononiensis
& Ecclesiasticæ Ditionis initium
quod, ut
URBANUS VIII. *Pont. Max.*
tectum sartumque redderet
arce munitissima ut mox videbis excitata
sic Pontificiæ Majestati
sic subditorum securitati consuluit
ut exinde clavibus imperterrite ovilis Dominici
gereret curam,
& gladio truculentam arceret luporum rabiem.

PISA.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

Prope cimeterium s. Campum Sanctum:

Aspice, qui transis, miserabilis inspice, qui sis;
Tali namque domo clauditur omnis homo.
Quisquis ades, qui morte cades, sta, perlege, plora;
Sum, quod eris, quod es, ipse fui, pro me, precor, ora.

In sacello quodam portici ad Campum Sanctum:

CAROLUS ANTONIUS PUTEUS
Francisci Comitis Ponderani Filius
Archi-Episcopus Pisanus, &c.
diem mortis
& universalis resurrectionis cogitans
locum hunc vivens sibi statuit
pro cadavere suo reponendo,

quan-

quando Divinæ Clementiæ visum fuerit
ipsum ab hoc seculo nequam eripere
Anno Domini MDC - .

Ibidem adhuc, sed a præcedenti paululum distans:

D. O. M.

PAGANINO GAUDENTIO Pesclaviensi, incliti nominis Philosopho, Theologo, J. U. Conf. probitate naturali, ingenuitate, studio Reipub. prædito ad exemplum; humanioribus vero literis & politice ad invidiam, quas in Pisano Gymnasio per annos XXI. professus exteros multos ad se vocante fama pertractos præsenti eruditione obruit, posteros edito multiplici volumine locupletavit, editurus plura, si dies adfuisset, qui de re quacunque consultus indeficientem pandebat ex tempore dissertationis doctissimæ venam de se tantum parcus sic habens fato propinquus, & quasi præscius:

Rhætia me genuit, docuit Germania, Roma
Detinuit, nunc audit Etruria culta docentem.

Obiit Pisis impavidus An. D. cIↄ Iↄ c IL. tertio Non. Jan. natus annos LIII. *Bartholomeus Chesius* Pis. J. C. & in Pisano Gymnasio J. Civ. ord. Professor executor testamentarius tantam literarum jacturam deplorans P.

In Basilica Epitaphium nivei Marmoris, Imperatoris Henrici VII. Lutzelburgici, hostia venenata per Bernhardum Politianum, Monachum Ordinis Dominicani, occisi:

Hoc in Sarcophago HENRICI olim Lucelbur-

burgenis Comitis & post Septimi hujus nominis Romanorum Imperatoris ossa continentur, quæ secundo post ejus fatum anno videlicet MCCCXV, die vero Calendarum Sextilis Pisas translata summo cum honore ac funere hoc in fano ad hunc usque diem collocata permansere.

INSCRIPTIONES PROFANÆ.

Sub Porticu ad Cimeterium sive Campum Sanctum parieti infixæ sunt *duæ tabellæ*, in quibus sequentes conspiciuntur Inscriptiones:

1. COLONIA JULIA PISANA nuntiata morte L. *Cæsaris Augusti F.* censuit quotannis inferias illius manibus certo ritu mittendas per Magistratus eosve, qui ibi Juri dicundo præessent, post urbem conditam anno Iↄ CCLVI. Christi vero anno IIII.

2. COLONIA JULIA PISANA audita morte C. *Cæsaris Augusti F.* censuit, ut die quo illius obitus nunciatus est, usque ad eum diem, quo ossa relata sunt, ab omni lætitiæ genere abstineretur, utque illi eodem modo, quo L. fratri parentatum fuerat, parentaretur, arcus insuper & statuæ ponerentur, post urbem conditam M CC LVIII. Christi vero Anno V.

Intra has tabulas vides *frustum columnæ cujusdam* cum hac inscriptione:

Pars Columnæ miliariæ

Hæc prope viam Æmiliam ad Pisanum mare ver-

vergentem in loco vulgo nuncupato Riniazzano reperta fuit

CÆS. J. AEL.

Adrianus. Antoninus. Aug. Pius. M. Tr. P. VI. Cof. III. Imp. II P. P. Viam. Æmiliam. vetuftate. dilapfam. oper. ampliatis. reftituendam. cur. a. Roma. M. P. CLXXXVIII.

Cæfar. Imperator. Ælius. Adrianus. Antoninus. Auguftus. Pius. Pontifex. Maximus. tribunitia. poteftate. VI. Conful. III. Imperator. II. Pater. Patriæ. Viam. Æmiliam. vetuftate. dilapfam. operibus. ampliatis. reftituendam. curavit. a. Roma. millia. paffuum CLXXXVIII.

In Ponte fuper Arnum fluvium:

1. FERDINANDO II.
Mag. Duce Etruriæ
pacis ac juftitiæ ftudio
magnanimitate
& clementia inclyto
VIII. luftris regnante
ab orbe reftituto
A. CIↃ IↃC LX.

2. En moles
Olim lapidea
vix ætatem ferens,
nunc marmorea
pulchrior & firmior ftat,
fimulato Marte
virtutis vere fpecimen
fæpe datura.

3. Pons
annorum cursu
& irrequietis aquarum
pulsibus dejectus
non indignante Arno
repositus.

4. Viator
perge gratus
semitæ compendium carpe,
& urbis nuper disjunctæ,
nunc sociatæ,
beneficio fruere.

LUCCA.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

Supra portam primariam Sti Petri Majoris extus:

In matris suæ prodigiis mirabili quæ in hac imagine A. D. M DC LXXXVIII. ab impio aleatore taxillis appetita mox confracto ejusdem brachio post unius pœnam cunctis benefica e porta urbis in Petri templum delata omnium votis cœlum hic aperit. Operarii B. M. V. & S. P. M. P. P. A. Sal. M D CC XVI.

In *templo*, *Madonna del Sasso*, *dicto*, sub B. Mariæ *imagine*, in sacello quodam ad dextram:

Hanc Deiparæ imaginem in Ecclesia D. Augustini Lucæ cultam a perdito aleatore olim saxo percussam mira sanguinis effusione insignem filio a dexte-

dextera in lævam translato mirabilem impio dehiſcente terra in infernum ſepulto terribilem: Illuſtr. ac Rever. Sacroſanctæ Vaticanæ Baſilicæ Canonici triplex prodigium venerati aurea corona redimiri curarunt. Anno Salutis M DC LXXXX.

Ibidem in pariete proximo:

Proluat ut culpam dat Virgo ſanguinis undam,
At cadit, ignorans impius eſſe piam.

Ex adverſo in alio pariete:

Virginis ante aras veſtra pro gente Patroni
Aſſidua Mariam ſollicitate prece.

In templo Sti Frediani ſub *tabula quadam marmorea:*

O quiſquis legis, lapis es, niſi lapis hic te moveat in admirationem & cultum D. FREDIANI, qui templo huic conſtruendo, molem hanc in montibus ad quartum lapidem nactus, viribus impar, ſed ſpiritu fervens, mira facilitate manibus humeriſque ſuis & Canonicorum, in plauſtrum binis indomitis vacculis trahendum impoſitum, ſexto ſalutis ſæculo, hac in Æde ſtatuit ſacrum monumentum.

* *Ibidem in monumento Regis Richardi:*

Hic jacet corpus SANCTI RICCARDI
Regis Angliæ.

FLORENTIA.

INSCRIPTIONES SACRÆ:

In *Basilica, etiam Sta Maria del Fiore dicta*, sub *busto quodam marmoreo ad dextram* in pariete:

Quantum PHILIPPUS Architectus arte Dædalæa valuerit, cum hujus celeberrimi templi mira testudo tum plures machinæ divino ingenio ab eo adinventæ documento esse possunt, quapropter ob eximias sui animi dotes singularesque virtutes XV. Kal. Majas Anno M CCCCXLVI. ejus b. m. corpus in hoc humo supposita grata patria sepelliri jussit.

Proxime huic sub alio busto marmoreo:

Ille ego sum per quem pictura extincta revixit,
Cui quam recta manus tam fuit & facilis.
Naturæ deerat nostræ quod defuit arti,
Plus licuit nulli pingere nec melius.
Miraris turrem egregiam sacro ære sonantem,
Hæc quoque de modulo crevit ad astra meo.
Denique sum JOTTUS, quid opus fuit illa referre,
Hoc nomen longi carminis instar erit:
Ob. An. M CCCC XXXVI. cives pos. b. m.
M CCCC LXXXX.

In eodem latere sub busto marmoreo Marsilii Ficini:

En Hospes hic est MARSILIUS, Sophiæ Pater,
Platonicum qui dogma culpa temporum
situ obrutum illustrans & Atticum decus

ser-

servans Latio dedit fores primus sacras
divinæ aperiens mentis actus Numine
vixit beatus ante Cosmi munere
Laurique Medicis nunc revixit publico.
S. P. Q. F. An. MDXXI.

In Sacristia:

Anno millenis centum bis octo nogenis
Venit Legatus Roma bonitate donatus
Qui lapidem fixit fundo simul & benedixit
Præsule Francisco gestanti Pontificatum
Istud ab Arnulpho templum fuit ædificatum
Hoc opus insigni decorans Florentia digne
Reginæ Cœli construxit mente fideli
Quam tu Virgo pia semper defende Maria.

Ad *sacellum in pariete, ubi notissimum Florent. Concilium olim habitum fuit:*

Ad perpetuam rei memoriam

Generali Concilio Florentiæ celebrato post longas disputationes unio Græcorum facta est in hac ipsa Ecclesia die VI. Julii MCCCCXXXIX. præsidente eidem Concilio Eugenio Papa cum Latinis Episcopis & Prælatis & Imperatore Constantinopolitano cum Episcopis Prælatis & Proceribus Grecorum in copioso numero sublatisque erroribus in unam eandemque rectam fidem quam Romana tenet Ecclesia, consenserunt.

Epitaphium cujusdam Musici:

Multum profecto debet Musica ANTONIO SQUARCIALUPO Organistæ. Is enim ita

arti gratiam conjunxit, ut quartam ſibi viderentur Carites Muſicam adſciviſſe ſororem.

Florentina Civitas grati animi officium
rata ejus memoriam propagare
cujus manus ſæpe mortales
in dulcem admirationem
adduxerat civi ſuo
monum. poſuit.

In Templo Sti Laurentii monumentum Pauli Jovii in tabula marmorea:

PAULO JOVIO Novocomen. Epiſc. Nucerino
Hiſtoriarum ſui temporis Scriptori
Sep. quod ſibi teſtamento decreverat
Poſteri ejus integra fide poſuerunt
Indulgentia maximorum optimorumque
Coſmi & Franciſci Hetruriæ Ducum.

In templo Sti Marci apud Monachos Dominicanos Epitaphium Pici Mirandulæ:

JOANNES jacet hic MIRANDULA cetera norunt
Et Tagus & Ganges forſan & Antipodes.
Obiit anno Sal. M CCCCLXXXXIIII. ann. XXXIII.

Hieronymus Benivenius ne disjunctus poſt mortem locus oſſa teneret, quorum in vita animos conjunxit amor hac humo ſuppoſita ponend. cur. obiit anno MDXXXXII. vixit LXXXIX.

Ibidem Epitaphium Angeli Politiani:

POLITIANUS in hoc tumulo jacet ANGELUS, unum

unum qui caput, & linguas, res nova, tres habuit.
Obiit anno M CCCC LXXXXIX. Sept. XXIV.
ætatis VII.

In peryſtylio cœnobii ad portam introitus ſub buſto nivei marmoris:

VALENTINUS FARINOLA
natus
una cum ſexto decimo ſæculo
ætatis anno ſupra octogeſimum ſeptimo
obiit
fama ſcilicet longe ſuperaturus ſæculum
quod prope æquaverat tempore
a Baſtia, Metropoli Cirni, Regia Tyrrheni maris
inſula & inclyta Gubernatorum ſede
Ubi Paulus Pater JC. Auditorum regni promeruit,
patriam habuit
a genere inter Cyrnæas familias præclaro nobilitate
a natura indolem ad maxima quæque unice factam
a ſtudio ſapientiæ in Piſano lycæo lauream, cathedram, nomen
a præſtantia mentis in conſulendo judicandoque
innumeros illos in Hetruſca Curia honorum
gradus,
quibus per annos ſexaginta tres a duobus
Magnis Ducibus
Ferdinando II. & Coſmo III.
eſt ampliſſime cumulatus.
Nec immerito:
Auditor enim Rotæ Senenſis, Auditor Rotæ
Florentinæ,

Au-

Auditor Capitaneorum Partis Guelphæ, Auditor
Consultorum super justitiæ gratiæque
rescriptis,
Auditor supremus Civitatis Liburni aliarumque
arcium & militarium status,
Et Magnæ Ducalis Cameræ perpetuus fere Pro-
Auditor, perpetuo etiam usque
dum vixit
Tum apud Principem, tum apud subjectos Prin-
cipi populos bene audivit.
Ut
post obitum tantus Auditor bene quoque audiat
apud Posteros
idcirco monumentum hoc
Alexander JC. frater mœrentissimus fratri
meritissimo
posuit.

Huic proximo in alio pariete itidem sub busto candidi marmoris:

Deo Legislatori
CAMILLUS DE PERINIS Laurentii F.
Patritius Floren. hic quiescit
Vitæ labores perpende
Adolescens totus in legibus & jure dicundo fuit
Pisis, Florentiæ, Maceratæ,
Lector, Patronus, Rotæ Auditor,
peritus, integer, justus,
docuit, defendit, decrevit.
Romæ præclara munera adeptus Urbano VIII.
P. M. carus
& interioris admissionis familiaris

Au-

Autor fuit locum ſtatuendi ubi publicæ tabulæ
aſſervarentur
Aulæ mare feliciter emenſus patriam petiit,
matrimonii portum intravit,
mortalitatem explevit V. Idus Sept. S. A.
MDCXXXVI. æt. LVIII.
Laurentius ac Hieronymus F. F. beneficentia ejusdem Pontificis exornati
Quæ Pater exantlaverat ut perennarent
P. C. MDCLXIII.
Hoſpes
benefacta benefacis pertegito ne perpluant.

In *Periſtylio cœnobii ad Nunciatam in Pariete*:

Mortales morti cedunt, amori mors.
FRANCISCUS VENTURINI Marti F.
Aſcan. Nepos. Patrit. Pontremulens.
Avi Patriſque Juris prud. æmulatus magnis Majoribus non minor JC.
Majores fuere ipſi virtutum exemplum,
ipſe poſteris.
Meritis maturus etſi nondum annis.
Fiſc. R. Civ. Aud. Genuæ Lucæ Aud. & Prætor
Ab utraque Republ. præſens in amoribus
habitus, abſens in votis
Probitatis, prudentiæ & doctrinæ fama gentium
ubique notus.
A Ferd. II. Flor. vocatus Flor. X. annos fuit
Aud. Profiſc. V.
Plurium Magiſtratuum Adſeſſor atque una cum
aliis Reformator,
Pitiliani Soranique Gl. Aud. juſſu Coſmi III. R.
Crim. inſtitutor In

In ſignatura libell. ſupplicum, gratiæ & juſtitiæ
Pſ. Conſiliarius.
His aliisque muneribus major
Exteris Principib. ac Magiſtratib. reſponſis ſuis
viſus oraculo propior,
Quam omnia negotia pari ſolertia animique con-
ſtantia tranſegerit
Dierum gloriæque plenus apoplexia tollitur,
die XX. Febr. anno æt. LXXIII. Sal. MDCIXC.
Mœrens Filiorum amor hunc Patris erepti ſculpſit
imaginem
Et pro vita, vitam ut poteſt, grate rependit.

In *templo Stæ Crucis ſub ſtatua quadam marmorea ad dextram:*

Poſtquam LEONARDUS e vita migravit, hiſtoria luget, eloquentia muta eſt, ferturque Muſas tum Græcas tum Latinas lacrymas tenere non potuiſſe.

Huic *e regione ſub alia ſtatua marmorea:* *

Siſte, vides magnum quem ſervant marmora vatem,
Ingenio cujus non ſatis orbis erat.
Quæ natura, polus, quæ mos ferat, omnia novit
Karolus ætatis gloria magna ſuæ.
Auſoniæ & Graiæ crines nunc ſolvite Muſæ
Occidit heu veſtri fama decuſque chori.

* Epitaphium eſt *Caroli Marſupini*, Secretarii Civ. Florent.

Ibi-

Ibidem :

FRANCISCUS NICOLINUS Joa. F. Sen.
Campellæ Marchio,
Ferd. II. M. D. Etrur. ad Urbanum VIII.
XXIII. annos Orator,
visu, & auditu juxta venerabilis,
irasci, & simulare nescius,
Romæ, ubi vix magna eminent,
emicuit
facilem, prudentem, & integrum,
magnum libenter credidisses
melior est sapiens viro forti,
& sui dominator urbium expugnatore.
Philippus Nicolinus Marchio
Patri Opt. posuit
A. M D C LXIV.

In peristylio Mariæ novellæ apud Dominicanos ; ad dextram in pariete :

Servatori redivivo
Heu nos miseros nihil sub sole ætatem fert.
Familia de Biondis
in dormitorio mortuorum
ante fores Ecclesiæ
antiquum sibi fodit sepulchrum,
Vetustas edax abolevit,
Simon & Rolandus de Biondis Petri F. F.
Cives Flor. huc transtulere
anno a Virginis puerperio MDCLXIII.
Viator cave
Volat irrevocabile tempus
falleris dum illud fallere curas

immortalitati beatæ labora
in meditullio cordis repone
durissimum & dulcissimum verbum
Æternitas.

Non *procul a præcedenti humi in lapide sepulchrali:*

MARIOTTO ANGIOLETO
Perusino, militi strenuo
quem in ipso ætatis flore
ex oculis hominum
non e memoria mors immatura
præripuit
Obiit an. D. cIↄ DLXX. ætatis vero
suæ XXXIII.

In templo Sti Michaëlis humi coram altare majus ad lævam:

FRANCISCUS JO. CACCINI ROMANI F.
LUCRETIA BARTOLINA BOLDELLA
Conjuges
in vita sic dilexerunt se
ut post mortem separari noluerint,
utinam simul & in cœlo.
anno 1667.

Huic proxime in lapide sepulchrali humi:

VICTORIA FALCONERIA *Pauli F.*
Francisci de Franciſchis uxor
hic sita est
quæ natalium splendorem & fortunæ munera
virtutibus supergressa
omnium amorem vivens & mortua

desi-

desiderium & habuit & meruit.
Hieronymus de Tornequinciis
& *Marius* ejus frater aviæ desideratissimæ
posuere anno Sal. MDCXLVI.

Sub picturis quibusdam in SS. Trinitatis templo supra in pariete ad latus utrumque majoris altaris:

1. Novum fortitudinis exemplar
JOHANNES GUALBERTUS
Victoriam renuens qua vincat inermem
hostem sibi parem aggreditur
scilicet seipsum
constanter vincit parcendo supplici
geminos sibi parans triumphos
in venia hosti data
in sui victoria.

2. Quem se majorem victoria sui fecerat
ut vere redderetur magnus
humilis amictus tegit
cujus sub umbra latens
victor sui humilitate vincitur.
GUALBERTUM igitur admirare,
dum parcit, vincit, vincitur,
ex æquo maximum.

In Cœnobio, degli Angeli dicto:
BENEDICTO VARCHIO Poëtæ Philos.
atque Historico
qui cum annos LXIII. summa animi libertate
sine ulla
avaritia aut ambitione jucunde vixisset obiit non

invitus XVI. Kal. Dec. MDLXVI.
Silv. Rac. ſacræ hujus ædis cœnobita
amico optimo p. c.

In Xenodochium Sti Matthæi:

Qui ſpectas ingens ædificium hoſpes
Autorem illius me LEMNUM BALDUCCIUM
in ſalutari ne præteri plur. vivens congeſſi
ſed eorum hoc ſolum Deo quod dicavi
defunctus teneo.
Vale & quod recte nos feciſſe putas imitare.

INSRIPTIONES PROFANÆ.

In area *Palatii Magni Ducis ſupra fontem, qui ibi conſpicitur:*

En Iſraëlis Dux e caute
Ferdinandeam aquam educens
Hinc leges cœleſtia dona
& vindex Juſtitiæ ſtudium
Hinc Principatus
oculato ſceptro inſignis
& charitate materna
ſubjectorum imbecillitati
parcens tolerantia
heroem comitantur.
Unde diſcas, ut auribus
qui paret, oculis uti
debere, qui imperat
& regnum ſine legibus
leges ſine ultione

ac sæpius clementia
non consistere.

In porticu Magni Ducis sub busto Bruti:

M. Dum Bruti effigiem sculptor de marmore ducit,
A. B. In mentem sceleris venit & abstinuit. F.

Quatuor hæ literæ M. A. B. F. significant:
Michaël Angelus Bonarota Fecit.

In statua area equestri Cosmi I. Magni Ducis Florentiæ in area Palatii veteris:

1) Ob Zelum religionis, præcipuumque justitiæ studium.
2) Plenis liberis Sen. Fl. suffragiis Dux patriæ renuntiatur.
3) Profligatis hostib. in deditionem acceptis Senensibus.

In *stylobata* ejusdem statuæ:

Cosmo Medici Magno Etruriæ Duci Primo
Pio Felici Invicto Justo Clementi
Sacræ Militiæ Pacisque in Etruria Autori.
Patri & Principi Optimo
Ferdinandus F. Magnus Dux III. erexit
A. M. D. LXXXXIIII.

Super *unam portam atrii Palatii Marchionis de Riccardi:*

COSMO III. Mag. Etr. Duce Autore & Auspice *Franciscus March. Riccardius* consilio & instinctu suo pretiosas antiquitatis eruditæ reliquias hoc

in atrio & aliis ædium harum locis disposuit, tum civium tum exterorum commodo & utilitati A. S. cIↄ Iↄcc XVII. ætatis suæ XXIXC.

Super alteram hujus loci portam:

Collecta a RICCARDO *Joannis F. Riccardio* omnium elegantiarum arbitro A. S. cIↄ Iↄc antiquorum monumentorum supellex ab urbanis vallis profundæ hortis ad favenda hæc venerandæ antiquitatis studia huc opportune translata.

Ibidem in pariete supra marmor album:

Hospes

Ædes cernis fama celeberrimas pulcherrimas atque magnificas a COSMO MEDICE Patre Patriæ Michelotio Architecto erectas A. S. P. M. cIↄ CCCC XXX. in quibus magnus ille senex successoresque sui in R. P. Florentina Principes & Alexander Dux R. P. Flor. Petrus Medices Cosmi I. tertius Filius habitarunt. Hic a Senatu Florentino Cosmus Medices Dux Flor. plenis liberisque suffragiis creatus ad quinque annos sedem suam ac regiam habuit, captivos montis Murli Victoriæ testes vidit, nuptias celebravit, Regiam stirpem feliciter hodie regnantem fundavit, variis temporibus Romani Pontifices, Romani Imperatores, Reges, Reginæ, aliique Principes innumerique Proceres hospitio excepti. Leo IX. P. M. in itu Bononiam redituque, Carolus V. Imp. cui Oratores Tunetani Regis hic solenne tributum solverunt, Carolus VIII. Galliarum Rex, Charlotte Cypri Regina & Sarmatiæ Regina, Thomæ Regis Filia, Fridericus Princeps Salerni, Fernandi Regis Neapolitani & Maria Hippoly-

polytus Dux Calabriæ, Galeatius Maria Sfortia Mediolani Dux. Hic literæ Latinæ Græcæque restauratæ, mutæ artes excultæ, Platonica Philosophia restituta, Academia Florentina a Cosmo I. vernaculæ Etruscæ linguæ cultui sacrata. Semper hi parietes columnæque eruditis vocibus resonuerunt. Ædes hasce tantæ gloriæ vix capaces, Gabriel Chianni & Rivalti Marchio Senatoris Francisci Riccardi F. a Ferd. II. M. E. D. A. cIↄ Iↄ c LVIIII. comparatas in postica auxit parte. Franciscus Marchio Cosmi Marchionis e Gabrielis supra dicti ex fratre Nep. & heres vetustam ædium magnificentiam æmulatus illas sacello sacris reliquiis referto, bibliotheca, museo, signis sculptis celatisque gemmis, veteribus nummis, anaglyptis, picturis, instructas intus forisque duplo ampliavit A. cIↄ Iↄ c XC. veterem partem in meliorem formam redegit, ornavit, ornat. A. cIↄ IↄCC XI.

Hospes

Medicæas olim ædes, in quibus non solum tot Principes Viri, sed & Sapientia ipsa habitavit, ædes omnis eruditionis, quæ hic revixit, nutrices, nunc etiam erudito luxu insignes, antiquitatis & elegantiarum thesaurum

Gratus venerare.

In Palatium Ducis Salviati:

Has inter maternas ædes
Puer reptavit Cosmus nunc stabili fulcit pede
in diadematis Majestate.
Cosmo magno Etruriæ Duci Principi Opt. Maximo
Ferdinandi regnantis felicissimo Proavo

JACOBUS SALVIATUS *Dux Juliani*
An. D. MDCXXXI.

In Porticum Negotiantium, vulgo die Börse:
COSMUS MEDICES *Florent. Dux II.*
Publicæ magnificentiæ & salubritatis ergo porticum
transverso columnarum ordine undique permeabilem
adversus omnem cœli contumeliam negotiantibus
in foro civibus suis exstruxit
MDXLVIII.

Supra ingressum Plateæ Judæorum:
COSMUS MEDICES *Mag. Etruriæ Dux*
& Sereniss. Princeps F. in omnes
pietatis ergo hoc in loco Hebræos a Christianorum
cœtu segregatos voluerunt, non autem ejectos, ut
levissimo Christi jugo cervices durissimas
bonorum exemplo domandas facile
& ipsi possint
anno D. MDLXXI.

In *Palæstram equariam:*
FERD. MED. *M. D. Etr. III. umbratile*
curriculum ad exercendam juventutem Flor. equestris
militiæ studiosam & ad dirigenda corpora equorum
ædificandum pingendum ornandum curavit.
An. D. MDLXXXXII.

In palæstra hujus locum alium:

FRAN-

FRANCISCUS MEDICES *Magnus Etruscorum Dux II.*

quod nobilissimorum adolescentium, qui equestri splendore se ornari cupiunt inprimisque Joannis Fratris commodo fieret hunc in equo se exercendi locum extrui jussit

Rustico Piccardino Equorum Magistro

Anno S. M. D LXXXVI.

Ibidem *cernis epitaphium cujusdam equi Caroli Capelli Legati Veneti* his conceptum verbis:

Ossa equi CAROLI CAPELLI
Legati Veneti.
Non ingratus herus sonipes
memorande sepulchrum
hoc tibi pro meritis hæc monimenta dedit,
obsessa urbe
M D XXXIII. Id. Mart.

Supra portam Bibliothecæ ad templum S. Laurentii:

Deo Præsidibusque familiæ Divis CLEMENS VII. *Med. Pont. Max.* libris optimo studio Majorum & suo undique conquisitis, Bibliothecam ad ornamentum patriæ & civium suorum utilitatem DD. Bibliothecam hanc COS. MED. *Tuscorum Magnus Dux I.* perficiendam curavit, an. D. M D LXX. III. Id. Jun.

BONONIA.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

In Basilica Sti Petri ad dextram Chori supra in pariete:

ANGELO S. R. E. *Card.* RANUTIO
Istius Patriæ Metropolitanæ Pastori
& S. R. I. Principi
in conciliandâ inter præcipuos Reip. XPnæ
Dynastas pace
Viro eminentissimo
ex Gallica legatione domum redeunti
Fani fortunæ, ubi prius resederat
omnium luctu potius quam suo
acuta febre sublato
cætera quæ lapis præterit
universæ Europæ testantur monumenta
Anno Domini M D C LXXXIX.

In templo Sti Petronii, ubi linea meridionalis Cassini incipit:

Meridianæ hujus semitæ tota longitudo aucta titulis est sexcenti - - - millesima pars circuitus universæ terræ.

Ubi desinit, in tabula marmorea alba, parieti affixa:

Autoritate illustrissimorum Senatorum
Præsidis & Fabricensium
meridiana hæc linea horizontalis
solem in meridie e templi fornice
ad inscripta cœlestium locorum signa toto anno
excipiens
ante XL. annos per intercolumnium oblique
occurrens
reperto augustissimo tramite perducta
Ecclesiasticis Astronimicis
Geographicisque usibus accommodata
a JO-

a JOHANNE DOMINICO CASSINO
Bononienfis Archi-Gymnafii Aftronomo primario
& Mathematico Pontificio
ab eodem in Italico itinere e Regia Aftronomica
Parifienfi Regiaque Scientiarum
Academia
quo ad Chriftianiff. Regem Ludovicum Magnum
annuente Clemente IX. Sum. Pont. concefferat
ad Solem iterum diligentiffime expenfa
cœlefti meridiano adhuc mire congruere
inventa eft
& fexcenti millefimam terræ circuitus partem
ab initio ad fpeciei folis hybernæ ipfam finientis
medium accipere
horizontali autem pofitioni unde exiguo
templi motu
inæqualique foli attritu recefferat accurate
reftituta
inftante anno
maximæ æquinoctiorum in Kalendario Gregoriano
præceffionis
hic potiffimum obfervandæ
labente anno falutis M D C X C V.

In *Pariete ad latus alterum, ubi hæc* linea meridionalis incipit:

Anton. Franc. pridem Ecclefiæ Metrop. Canon.
U. I. D. Colleg.
Petrus Paulus Frater Octavius, *Ant. Maria* horum
nepos & filius
ex vetufta Bonon. familia DE CEREOLIS
Floriano in hac olim viro clariffimo

rati

rati illum perenno meridie perfrui in cœlis
eoque tum ipsi suspicientes
ad hanc meridionalem lineam
nonum instaurarunt sibi et posteris
supremi occasus punctum constituerunt
Anno MDCLVIII.

Ibidem in sacello quodam ad dextram sub marmor nigrum:

Virtutis opus
Venerare Viator sub hoc lapide
servatur hic triumphus CÆSARIS MARSILII,
qui
fatorum beneficio fretus
coëgit mortem ut cœlestem illi gloriam
maturaret.
si genus & ortum quæris, interroga Martis luctus
qui
ab avitis illius heroibus præreptas sibi laurus
dolet.
Si indolem equestris disciplinæ curis famam
ornaverat
Bononiensis hic Cæsar
Si dotes ingenii, cœleste huic Marsilio phantasma
erat,
totum enim ab elementis abstractus, sublimaverat
omne studium in astrorum naturam
& legem.
Conjice, quales fuerint illius affectus, quando
siderum
æternitatem pro centro sibi destinaverant
nobis & Academiæ Lynceorum
abfuit

æta-

ætatis anno quadragesimo|pr.
& sal. nostræ cIↄ Iↄ c XXXIII.

Hinc *Elena Balatina* piissima uxor
& una *Annibal* posthumus
in hoc lapide æternum
lapidescere voluerunt.

In templo Sti Dominici non procul a choro marmori albo in pariete inscriptum:

Viator, quisquis es,
Siste gradum, & quod scriptum est, perlege,
ubi perlegeris, pensita.
Hoc is, cujus causa hoc scriptum est, fieri rogat.
Orto inter Bononienses & Mutinenses bello
Cæsar Federicus II. Rom. Imperator
Filium HENTIUM
Sardiniæ & Corsicæ Insularum Regem
Mutinensibus suppetias ferre jubet,
qui
inito apud D. Ambrosii pontem certamine
a Bononiensibus capitur,
nullaque re ut dimittatur, impetrat,
licet Pater minis, deinde precibus, & pretio
deprecatoribus uteretur,
cum tantum auri pro redimendo filio polliceretur,
quantum ad mœnia Bononiæ circulo aureo cingenda sufficeret.
Sic captivus annos XXII. menses IX. dies XVI.
tenetur
aliturque Regio more publica Bononiensium
impensa

sic

ſic defunctus magnificentiſſ. ac pientiſſ. funeratus
hic tumulatur,
præterea ſimulacrum hoc in perpetuum
monumentum
& hoſti & captivo
S. P. Q. B. P.
Anno ſal. MCCLXXII. II. Id. Mart.
Hoc volebam, ut ſcires.
Abi & Vale.

Monumentum hocce vetuſtate collapſum
Senatus Bononienſis juſſu
inſtauratum fuit MDLXXXVI.

Et *paulo infra:*

Senatus Bononienſis
pietate ac liberalitate
Oſſa REGIS HENTII
& hoſtis & captivi
hic jacent
humanæ ſortis memor
piis manibus bene precare
inſtaurat. iterum A. D. MDCLXXXX.

In *ſtylobata ſtatuæ B. Mariæ ante templum PP. Dominicanorum collocatæ:*

Sanctiſſimæ Reginæ
gaudii, doloris & gloriæ
a Dominicanæ familiæ ſtudioſis
ſuppeditato ære
poſt eliminatam peſtem
a Civitate Bononiæ

F. Jo-

F. Joseph Pasqualini Bonon.
conversus
sedulitas
hoc monumentum statuit
anno ab orbe redempto
MDCXXXII.

Apud *P P. Franciscanos prope portam templi primariam ad lævam sub busto quodam marmoreo parieti affixo* :*

Docta per ora Virûm volitas clarissime Doctor
Æternusque tui nominis exstat honos.

* Fuit is *Annibal Monterentius* J. U. D. mortuus 1586.

Paulo infra :

Vivida cui virtus, cui summa scientia juris
Dum vixit, fuerat, nunc brevis urna tenet.

Non *procul a Sacristia in pariete* :

OLYMPIÆ GUERRINÆ TIFERNATÆ
nobilitate familiæ
matrimonialium virtutum splendore clarissimæ
Octavius Nostrius Tifernas
Arcis urbanæ
Præfectus
Uxori incomparabili mœrens
posuit.
Vixit annos XXIX.
obiens abortu masculæ prolis
suæ gentis familiam una
extinxit
Viro spem propagandi generis

ser-

ferme ademit
anno salutis
MDCXXXVIII.

In peristylio cœnobii in pariete:

Quanta fuerit ALEGRINI *& aliorum* MARSILIORUM gloria ac ipsorum memoria, facta ostentant.

Bernhardus Iunior hunc tumulum construxit & antiquos suos magno cum labore in unum collegit anno MDLXXXI.

Ibidem *sub Epitaphio Bonæpartis Ghisleri, Senatus Bonon:*

Scribæ, quod uxori *Isotæ Calderinæ*, cum qua 44. annos
sine jurgio vixit (ita sonant verba) posuit, mort. 1527.

Hominum luxus, fastus, deliciæ, quæ vitam vitalem esse non sinunt; hem quo redeunt.

Ante *quam cœnobium ipsum intras*, foris lapidi albo parieti infixo incisum est:

Sepulchrum ACCURSII *Glossatoris Legum.*

Apud P P. Servitas in uno chori latere in marmore nigro cælatum est sequens epitaphium:

Grati animi ergo
erga gratum Conjugem
JOHANNEM HIERONYMUM
Equitem & Senatorem DE GRATIS
gratitudinis ac perpetuæ fidelitatis testimonio
annulum maritalem

quo

quo olim viventi corpus affectusque devinxerat
nunc quoque defuncto
in amoris vinculum ejusdemque animæ suffragium
libentissime restituit & dicavit
Francisca Pepula Uxor grata
anno Dni. MDCLXII.

Huic ex adverso prope templi portam:

JOSEPH SAVIO Civi Bononiensi
Alexiaco vere Apollini
Salvificis pharmacis ad supremam artis apicem a se
auct. spectabili
morum suavitate officiorum humanitate
admirabili
quem Archiatri erubuere ministrum Magistrum
fassi.
Hujus jacturam ac intertrimentum ægre ferens
Helena Ferra
Savii Conjugis sublati dolore anxia
saucio cordi hoc perenne marmoris medicamen
invenit
Anno ab orbe redempto MDCLXIII.

Ad templum St. Proculi foris in muro:

Si procul a *Proculo Proculi* campana fuisset,
Jam procul a *Proculo Proculus* ipse foret.

Supra ingressum Palatii:

CLEMENT. VII. PONT. MAX.

Ut Christianæ Reip. statum formaret, cum Carolo V. Imper. Bononiæ congressus est: In hanc Urbem Cæsar Non. Novemb. a Christi Natali 1529. introiit, pro Templi foribus de More Pont. Max.

adoravit, Ejus hortatus consilio cum restituto in Mediolani avitum Regnum Franciscum Sfortia ac Venetis Pax data cunctæ Italiæ ocium ac tranquillitatem diu optatam reddidisset Imperii Coronam hanc pompæ ordine accepit. Fenestra hæc ad dexteram fuit porta Prætoria, ea gressus Cæsar per pontem sublicium in ædem D. Petronii deductum, Sacris rite peractis a Pont. Max. Auream Coronam Imperii, cæteraque Insignia accepit; inde cum eo triumphans, exercitu ornatiss. præeunte urbem perlustravit. Cum ambo in eodem Prætorio totam hyemem conjunctiss. de summa deliberantes egissent, Cæsar post suum adventum Mense V. in Germaniam ad tumultus impiorum Civium sedandos Bellum Turcicum cum Ferdinando Fratre Bannoniæ Rege apparantum profectus est. Hujus rei Monumentum hoc Innocentio Cibo Card. Legato auctore Uberto Gambara Urbis Præf. referente S. B. Q. B. extare voluit.

Non. Nov. MDXXX.

Non procul ab hac Inscriptione in Pariete:

Mariæ Sospitatrici
Adeste o Sol ac Luna testes
Vos autem quæ marmor hic præco nunciat audite o Sæcula
Sæviebat virulenta lue feralis Erinnis
Squallebat ubique funere civitas jamjam futura vastitas
cum opifera ex empyreis Mariæ rosetis adspirante aura
illico evanuit virus stetit occidio revixit salus

Inde

Inde Diva Soſpitatrix circumducto per vias
triumpho
in ſubjecta hic platea animis æque ac gemmis
coronata novo Regina jure
in Bononienſium corda regnavit.
Manu ſocia pietate pari hinc Antonius Card. Santacrucius Legatus
Etiam in Marcello Santacrucio Nepote hodie
Prolegato amabiliſſimo
inde Hieronymus Card. Columna Archi-
Epiſc. Opt.
inter ſervati populi mixtas lætitiæ lacrymas,
acclamatione coronar.
votiva quotanni in ævum ſupplicatione beneficium
teſtatura
Bononia a peſte ſibi ſuperſtes poſuit
Regnante Innocentio Papa X.
Legato Fabritio Card. Sabello Archiepiſcopo
Nicolao Card. Ludoviſio
Anno Jubilæi MDCL.

INSCRIPTIONES PROFANÆ.

In Pariete Collegii Jeſuitarum prope templum Sta Luciæ:

HIERONYMO *Card.* FARNESIO
Legato meritiſſ.
inclytoque Senatui Bonon.
quorum imperio & auctoritate
Caſtilionenſis viæ canalis
ne aperti curſus libertate
libertatem concurſus

ad novum Stæ Luciæ templum
interverteret
in ſubterraneos aquæ ductus
incluſione ac divortio
commodo & ornatui publico
ſervire didicit non ſævire ut antea
P. P. Societ. Jeſu Coll. S. Luciæ
ne cum aquæ hujus clauſura
beneficii memoriam claudat oblivio
ſed palam & perpetuo emanet ad poſteros
perenne hoc monumentum PP.
anno Dni. MDCLXI.

In Porticu Academiæ in pariete ad lævam:

MELCHIORI ZOPPIO,
doctrina, eloquentia, mentis acie
conſpicuo,
de Philoſophia univerſa
de liberalibus diſciplinis &
de Logica potiſſimum
quam & loquendo & ſcribendo
coluit juvit illuſtravit
optime merito
doctori fideli benevolo
ingenio verſatili
utraque Univerſitas Phil. & Med.
ſtatuit
CIDXC. Decembris.

Ibidem ad dextram:

PETRO CARDINALI VIDONO
Cujus gentilem turrim non vite magis avita
quam

quam lauro triumphali coronatam
Mars bellorum armamentarium
Aſtræa legum propugnaculum
Pallas ſcientiarum munimentum
experta eſt
Bartholomæus Fenarolus Brix. V. V. Juriſtar. Prior
in firmum grati animi monumentum
turrim hanc marmoream poſuit
nullo temporis aut invidiæ fulmine diruendam
Anno Domini MDCLXIII.

Supra; inter Medicos:

Virtuti & famæ
in ævum manſuræ
inclyti Viri
MARCELLI MALPIGHII,
Medicinæ Profeſſoris celeberrimi
Utraque Artiſtarum Univerſitas
Anno Salutis
MDCLXXXIII.

Miraris breve lemma?
Nomen ingens
ornari negat: eſt
ſatis referri.
Juſſum cætera, cur
tacere marmor?
Omnis MALPIGHIUM
Loquetur ætas.

A Caſaralta, non procul Bononia diſtans, in palatio del Volta:

 D.M.

D. M.
ÆLIA LÆLIA CRISPIS
Nec Vir nec Mulier nec Androgyna
Nec Puella nec Juvenis nec Anus
Nec casta nec meretrix nec pudica
sed omnia
sublata
neque fame neque ferro neque veneno
sed omnibus
nec Cœlo nec aquis nec terris
sed ubique jacet
Lucius Agatho Priscius
nec Maritus nec Amator nec Necessarius
neque mœrens neque gaudens neque flens
hanc
nec molem nec Pyramidem nec sepulchrum
sed omnia
scit & nescit cui posuerit.

Ænigma, quod peperit gloriæ Antiquitas
ne periret inglorium,
Ex antiquato marmore hic in novo reparavit
Achilles Volta Senator.

MEDIOLANUM.

INSCRIPTIONES SACRÆ:

Supra portam *loci cujusdam pii*, distribuendis eleemosynis dicati, nuncupatique *della Madonna della Neve*, marmori incisum legitur:

Deiparæ ad Nives

Præ-

Præcursori ad fontes
Titularibus & Tutelaribus
certas ædes
decernendis in pauperes
avito more subsidiis
Concivium Med. Civitas
destinavit
An. Dom. M. D. CXLV.

In Æde sacra, *S. Celso dicata*, vides epitaphium *Annibalis Fontanæ*, sculptoris:

ANNIBALI FONTANÆ, *Mediolanensi*, sculptori summo, qui vel marmora stupente natura in homines mutavit, vel hominum simulacra in marmoribus spirare jussit, Fabricæ Templi hujus Præfecti, quod ille sculptilibus signis mirabiliter ornavit B. M. posuerunt. Vixit an. 47. obiit anno 1587.

Supra *portam nosocomii S. Celsi:*

Miserabilium infantium opportuna domus
Cujus janua est Christus
Mediolanensium civium pietas sic parvulos fovet
Innocentes in utraque felices, quis nesciat vita *
* *reliqua abolevit vetustas.*

In *templo St. Eustorgii:*

Epitaphium GEORGII MERULÆ *Historici*,
Vixi aliis inter spinas mundique procellas,
Nunc hospes cœli MERULA vivo mihi.
Lancinus Curtius
Amicus
p.

Ibidem non procul ab hoc Epitaphio marmori incisum est sequens:

D. CÆSAR VICE-COMES
S. R. I. & Cistellani Marchio
Gallarati Comes
Sommæ Condominus
Aurei velleris eques
suburbanæ Præfectus militiæ
Castellæ Magnas ex Insubribus Primus
clarissimæ suæ familiæ ultimus
pius in superos
fidus in Principes
beneficus in subditos
hospitalis in advenas
misericors in egenos
in omnes beneficus
anno Sal. MDCCXVI. ætat. suæ LXXIII.
Spiritu ad præmium evolante
exuvias hic reliquit.

Sub statua quadam, pectore tenus efformata, parieti sacelli cujusdam imposita:

JO. PETR. VARISIO
Qui sacris e libris hausta præcepta re comprobans notis ignotisque volens juxta profuit, nemini sciens obfuit.

Cuidam laterum *templi, Victoria*, dicti, adposita est Pyramis lapidea cum sequentibus Inscriptionibus:

JO. JACOBO HOMODEO
Pioperæ Marchioni

Ger-

Germanicæ Legionis pro Catholico Rege
in Italia Tribuno perpetuo.
Qui
dum a majoribus hausta domi
erga Monarcham suum obsequia
propius in Aula testaretur
Contractis cum D. Antonia de Medoza
Sponsalibus
inter adornanda Nuptiarum hilaria
ad acerba funerum lugubria
importuna morte traductus
Magnificentiss. Regis exspectationes
excelsasque suorum & Patriæ spes
humili se cum tumulo sepelivit
apud P. P. Capucinos Matriti
anno 1628. ætatis 28.
Aloysius Tit. S. Alexii S. R. E.
Presbyter Cardinalis *Homodeus*
Fratri, quem vivum, ut Patrem coluerat
pie defuncto posuit.
1665.

AUGUSTINO HOMODEO JO. Jacobi Fratris
Pioperæ Marchionis hæredi
in tractu Mediolanensi
Regiarum Venationum generali Præfecto
Quem Parmæ Salmaticæque Laureatum
Prothonotariis participantibus
ab Urbano VIII. P. Maximo adscriptum
Iam sibi devotum repetebat Roma
cum fratris tum inopina mors
ad obsequia Regis arctiora retinuit

Inter hæc ſupremo Redituum Conſilio
& civico Decurionum Senatui admotum
poſt tria illuſtria Connubia
Auctum titulis Marchionatuum
Villæ novæ de Ariſcal & Almonacir
atque Comitatuum de Pavias & Saſtago
Meritis æque ac pietate maturum
mors acerba ſubtraxit
Fratrique proximum tumulavit
Matriti anno 1657. æta. 51.
Aloyſius tit. ſ. Alexii S. R. E. Pres. Car. *Homodeus*
Optime de ſe merito fratri p. 1665.

FRANCISCO HOMODEO
Caroli Marchionis filio,
Qui Romæ in Academia Gregoriana
diſciplinis mitioribus inſtitutus
caſtra mox Regia ſecuturus
diſceſſit in Hiſpaniam,
Inde comes additus Duci de Veraguas
in Belgium ſolvit
ſed repetitis Oceani tempeſtatibus
Ulyſiponem pulſus
ibi maligniori febrium jactatus æſtu
Portum tenuit æternitatis
acerbius ingemiſcens abrumpi ſibi
vix inchoata Regis obſequia
quam vitæ vix adultæ primordia
obiit 1636. ætatis XX.
& in templo Sanctiſſimæ Trinitatis
tumulo conditus jacet.
Aloyſius tit. ſ. Alexii S. R. E. P. Card. *Homodeus*

Ado-

Adolescenti ad magna quæque nato
Amoris hoc fraterni monumentum p.
1666.

JO. BAPT. HOMODEO
Caroli Marchionis Pioperæ filio,
qui post prima rudimenta literaturæ
armorum studia severiora complexus
tandem promovendis Reip. commodis
se totum addixit.
Hic exorta laudatæ prudentiæ fama
ob gestum præclare Decurionis munus
& Magistratus ordinarii quæsturam
feliciter administratam
dum majora pro Rege Maximo meditatur
lento consumptus morbo
pio vitam interitu coronavit
anno 1651. æta. 45.
spolio mortalitatis deposito
apud Patres Reformatos de Viridario.
Aloysius tit. S. Alexii S. R. E. Pres. Card. *Homodeus*
sparsim conditorum memoriam Fratrum,
ut grata faceret
monumenti societate vicinam
ad amoris ingenium p.
1666.

In *Frontispicio templi S. Victoris* supra portam majorem:

Basilicam hanc urbis olim primariam
in qua D. AMBROSIUS hymnos conscribens
B. Victoris militis auspicio

Aria-

Arianorum milites vicit
Portius excitandam curavit
S. Carolus translatis Superum exuviis
Olivetani Cenobitæ
ædificationis magnificentia
auguſtiorem fecere
anno Sal. MDCLXXVI.

In ſacello hujus templi, *familiæ Areſianæ* propria, a parte dextra:

Julii Filii Red. Ord. Quæſtoris
Com. Ludovici Fratris militum Tribuni
& Gubernatoris Novocomenſis
Pauli Patrui Epiſcopi Derthonenſis,
Julii Parris Mediolanenſis Senatus Præſidis,
Marci Antonii Avi ſenatoris,
Julii Clari Abavi Materni,
apud Catholicam Majeſtatem Regentis
Aliorumque Majorum veræ æternitati
Comes BARTHOLOMÆUS ARESIUS
Regens & Mediolanenſis Senatus Præſes
hanc aram cœleſtis clementiæ
ſtatui juſſit anno ſal. MDCLXIX.

A *parte ſiniſtra:*
Comes BARTHOLOMÆUS ARESIUS
poſt omnes Togæ gradus in Patria emenſos,
apud Catholicam Majeſtatem Regens,
& Mediolanen. Senatus Præſes
agnita rerum humanarum fide,
ſpem divinarum amplexus,
hoc ſacellum
familiæ cineribus condens

con-

conſcientiam mortalitatis, æternitatis exſpectationem,
poſteritatis pietatem excitabat
Anno ſal. MDCLXIX.

Ante *hoc ſacellum humi lapidi ſepulchrali inciſum legitur :*

Comitem BARTHOLOMÆUM ARESIUM
in ſupr. Ital. Cons. apud C. M. Regentem
Magiſt. Ord. dein exc. ſenatus Præſidem
relig. in Deum, fide in Regem,
juſt. in cives, charit. in patriam
munif. in Princ. liberal. in paup.
in omnes bonas artes favore
ingenio ſap. magnitud. animi
templorum, cœnobiorum, palatiorum
magnificentia
vitæ modeſtia ſpectatiſſimum
huic templo
a ſenatore Mario Antonio Avo
Nepotibus parato
Com. Lucretia Homodea Uxor
Com. Julia & Com. Margarita Filiæ
mem virtutum dolorem lenientes
cœlo reſtituendum committebant
Anno MDCLXXIIII.
ætatis ejus LXIIII.

In templo exiguo *St. Bernardini :*

Æternitati
HENRICUS SEPTALA
Mediolani Archi-Epiſcopus
doctrina, pietate ac rerum geſtarum gloria

in-

incomparabilis
ad tantæ regimen Ecclesiæ
ab Innocentio III. electus,
ab Honorio III. consecratus,
Comes Regum ac Dynastarum,
cum egregia Med. Nobilium ac militum manu,
Ierosolymitanam suscepit expeditionem
Metropolitani Iuris mirus vindex fuit,
Instituto Inquisitore jugulavit hæreses,
Dominicanos & Franciscanos Ordines
in hanc urbem primus excepit, domiciliaque dedit,
pluribus Ecclesiis patrimonium non mediocre
addidit.
Mediolanensi Ecclesia per ann. XVI. & men. X.
laboriosissime administrata,
quievit anno salutis MCCXXX. XVI. Kal.
Octob.
elatusque pio & vero universæ Italiæ dolore,
hic jacet.
Carolus Septala J. C. Collegiatus
Sanctiss. D. N. Innocentii X. V. S. REF.
& Ecclef. Metrop. Medi. Archipresbyter
B. M. pro-Patruo Maximo P. anno MDCLII.

Supra portam *scholæ cujusdam*, prope templum, *Rosa* dictum:

Pauperibus pueris primam capientibus Artem
En pateo, Argentum nolo, sed ingenium.
Aministratores Quatuor Mariarum ex testamento Thomæ de Grassis.

Sequentes duas Inscriptiones vides in sacello quodam templi *Incoronatæ* nuncupati:

Hic

Hic jacet JOHANNES TOLENTINUS
Armorum Dúctor
Gener, ac Consiliarius
Illustrissimi Francisci Sfortiæ
Ducis Mediolani
obiit ann. 1469.
cujus memoriam
vetustate collabentem
Comes *Nicolaus Tolentinus*
Comes Christophori
Heres
denuo erigendam curavit
ann. MDCLX.
Toga & armis
Vale Tydea
Conjux, valete
Liberi, nec tu
deinceps Conjux
nec vos eritis
Liberi Joannis
Tollentinatis
Senat. Com. Eq. Q.
M D XVII.

Momenta quædam passionis Dominicæ in templo, *la Passione* dicto, stylo lapidario concepta, inque tabulis diversis picta, conspiciuntur, Autore D. Celso Dugnani, Abbate Mediolanensi. Scilicet

In *Christum crucifixum*.
Clavus perforans
Clavis reserans

factus

factus est mihi,
Quid vides per foramen?
Clamat
Clavus
Clamat Vulnus
Quod DEUS in Christo
Est mundum
reconcilians sibi.
Aperit Clavis & claudit
Clavus,
dirigit, figit & coronat,
Frænavit equum,
Frænabit sensum,
coronat
Augustos.

In Ecce Homo:

Clamide
coccinea paludatus
Sese Rex Regum ostentat,
Derisus, lacer & delusus,
Nuptialem nobis texens purpuram,
exutus ipse pelle
calamitoso
calami
sceptro
Simulate adoratur,
a turbata turba turpatur,
Læsus & lusus
Illæsa voluntate pro nobis
sæpe lædi & ludi.
Heu luditur in veste

læditur in corpore.
Lector si legis, nec luges,
Es sine lege.

In flagellationem Salvatoris:

Flagra
in humeros DEI
innumera cadunt
quibus
quis credat pingi penniculis
Notas amoris
lineari calamis
caracteres doloris?
Et scopis in scapulas Agni
mundari immundum
mundum emendari?
Flagellatur,
ne flagellemur.
Felix peccator
si hisce edoctus
flagris
mollescas in lacrymas.

In Christum crucem portantem:

Grande spectaculum
sed si spectet impietas,
grande ludibrium,
Si pietas
grande mysterium.
Ridet impietas Regem
bajulantem lignum
ad se figendum,

quod
fixurus etiam fuerat
in frontibus Regum.

In Coronam ſpineam:

En hominum
Inhumanitas confuſa,
ſpineo redimit ſerto
redimito in cœlis ſydereo,
Florentibus vepribus
Ægypti more
Coronat.
Felix Rhamnus
Jure non injuria
elatus inter ligna,
ſint mihi pro Corona ſpinæ,
tribuli pro gemmis,
Vos elata Capita,
cupitis Coronas?
Capitis noſtri Caput aſpicite,
ſubque capite ſpinoſo
pudeat coronari roſis.

Quando *Salvatori in cruce porrectum fuit acetum, bile mixtum:*

Qui Fontes
Ex petra & ex oſſe deduxit
in pœnam ebrietatis noſtræ
ebrius, & Amore,
Sitio, heu! ſitio,
clamat.
ſaturans melle, potatur

felle;

felle;
En poculum ſic pejus.
O immanitas
Sitienti ſitim Amoris,
amaris arida miſces?
Levius eſt ſitire, quam bibere,
Si petit, ut ſitit, præbe cor;
Lector
Siccum ſiccis oculis
Si DEUM cernis
Aut oculis cares, aut corde.

In Sepulchrum:

Quem
novus venter concepit,
novus tumulus recepit,
& qui pro aliena
moriebatur ſalute,
in alieno morabatur ſepulcro,
mors enim illi non obfuit,
ſed nobis profuit,
non illi illata eſt
ſed nobis delata,
Ut quid ergo, proprium ſepulcrum,
cui non propria mors,
quorſum tumulus in terris,
Cui thalamus in cœlis.

In lintea ſacra:

Quos
in Chriſtum dolores
coegit livor

in linteo
collegit Amor.
Verbera, quæ verbis
Sacer deſcripſit Scriptor,
Divinus vulnera pinxit
cruore Pictor;
Heu! ſiſte fidelis,
Lege, luge,
Doloris livorem,
Livoris picturam,
Pictoris amorem,
& in ſacro
Amoris & doloris
vexillo
expende dolorem
repende amorem.

In templo *St. Stephani* in columna prope portam primariam a manu dextra, ſub lapide quodam, rotæ figuram repræſentante:

Quisquis
hanc ſuſpicis
rotam,
monumentum habes cruentiſſimi prælii
Catholicos inter & Arrianos
Divo Ambroſio
Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtite
cujus precibus
concurrens ante promiſcuus
cæſorum ſanguis Catholicorum
cum hæreticorum ſanguine
repente in rotæ figuram concretus

ſacrum

ſacrum a profano diſcrevit
cognomentumque fecit huic baſilicæ
quod in ejus pavimento
qui ex adverſo rotæ jacet*
cavus lapis
prodigioſe huc devolutum pium cruorem
exorbuit.
Tu memoriam venerare miraculi
veſtigium adora.

* Conſpicitur in terra ferreis cancellis cinctus.

Lapidi cuidam *templi St. Fidelis* inciſum legitur:

CO. CAROLUS VICE-COMES
Reg. Duc. Senator
hic jacet ubi
duæ ejusdem uxores
pater & mater
avus & avia
quieſcunt.
Obiit anno Dni. M DCC XX.
ætatis ſuæ LXXXI.

In periſtylio cœnobii, templo, *Madonna della Gratia* dicto, adjacentis, ſupra portam quandam:

Infelix partus amiſſa ante vita quam in lucem ederer, infelicior, quod matri moriens vitam ademi, & parentem conſorte ſua orbavi. In tam adverſo fato hoc ſolum mihi poteſt jocundum eſſe, quod divi Parentes me *Ludovicus & Beatrix Mediolanenſes Duces* genuere. M CCCC LXXXXVII. tertio Non. Januarii.

In templo ipſo ſupra ſepulchrum *Lucæ Loſſeti a Vigonia*:

Simplicia reddidit Creatori
elementis compoſita
utrorumque acta
Redemptori ac mortalibus.

In templo *St. Hieronymo* dicato:

JO. FRANCISCUS STAMPA
Comes & Eques die XXVII. Auguſt.
M D XXXIIII.

Clarus fui & genere & fortuna comite inſignis ordine, ſed illa indignata ſenex mox turbat omnia, vos æquo & bono fidite poſteri.

Prope portam templi, *St. Angelo* dicti, in columna quadam a manu ſiniſtra;

Cecidit ut ab equo Saulus
ſub Auſtriæ Cæſaribus
ſine fide fidelis
munere functus Vicetribuni
& en vivus quieſcit
Seraphica indole
novus Eccleſiæ Romanæ fœtus
morte victa
Magno Alexander Major
Alexander Burnottus
Sanctorum quondam
Scotiæ Patriæ felici
novo ortu & occaſu
claræ virtutis

ſpe-

ſpeculum
M D C XXXXVI.

ADDIT. AD INSCRIPT. SACRAS.

In Templo S. Johannis Patrum Carmelitanorum, marmori nigro inciſum:

VINCENTIO SERENIO Mediolanenſi
Nobili ſtatuario, atque egregio Architecto,
Templi Maximi Ædificationi Præfecto,
Qui cum ſuam in publicis privatiſque ædificiis architectandis domi
foriſque probaſſet induſtriam,
in tota Gallia Ciſalpina
Communi Architectorum conſenſu primas conſecutus eſt,
Romam a Pio IV. Pont. Max.
ad fabricationem Baſilicæ S. Petri
proſequendam expetitus eſt,
ampliſſimis præmiis invitatus
caritate Patriæ retentus
in extruendo Juriſconſul. Collegio
a ſe pulcherrime deſcripto
civibus ſuis, quam commodis
ſervire maluit.
Denique cum in bene merendo de Architectura,
deque Patria
conſenuiſſet,
clarus benefactis & carus omnibus
exceſſit e vita Pri. Idus Janu. Ann. Salut. 1594.
æt. ſuæ 85.

Vitruius filius Architectus
Patris Opt. M. posuit Ann. 1599.

INSRIPTIONES PROFANÆ.

In sacello, templi la Passione, *familiæ de Legnani* proprio, tabulæ inscriptæ reperitur sequens inscriptio:

Accurre fidelis, accede,
& Neapolitanæ expeditionis admirato miraculo
gratias age Numini.
Obstupesce prodigium.
Victoriam sine pugna, palmam sine clade, sine
hoste triumphum.
Magna laus Austriacæ domus.
Potentissimum regnum sine armorum tumultu
Austriaco famulatum imperio,
Stricto ense triumphare de hostibus æque
fortissimis
Austriacis ut magnanimis haud magnum.
Fortitudinis tot vidisti portenta,
hoc autem maximum, quod amoris.
Merito ergo gloriare, CAROLE,
ubi non hostes vicisti, sed corda,
cujus equi laxatas habenas aliena vis moderari
non potuit.
In tui obsequium sola nominis fama
amorem mulsisti.
Nobilissima victoria,
Filiis dominari, non servis.
Sed quid mirum?
Patres prius quam Reges generosa generat Austria.

Læ-

Lætus ergo viator lætas perfunde preces,
ac in uno Neapolis triumpho
omnium una sit vox:
Vivat amor, vincat Cæsar, regnet CAROLUS.

Sub imaginibus *Lucretiæ Cornaræ & Isabellæ de Rosales* in loco quodam Bibliothecæ Ambrosianæ asservatis:

HELENA LUCRETIA CORNELIA PISCOPIA
Veneta,
Septilingue oraculum,
Philosophie laurea
publico Academie Patavine plausu donata,
Virgo,
nobilitate, sanctimonia, eruditione
ad pompam muliebris sexus
ornatissima.

ISABELLA DE ROSALES
Ordoniorum Principum soboles,
scientiarum excellentia in Hispaniis florens,
Romæ defensa Jo. Scoti doctrina,
admirantibus Optimatibus & Cardinalibus
ipsoque Paulo III. Pontifice
triumphantem in Viraginis ingenio
tanti Doctoris subtilitatem,
conversis ad fidem hæreticis & Iudæis
studio, pietate, munificentia,
de religione ac literis bene merita
effloruit Neapoli MDXLIII.

Supra portam *carcerum publicorum:*

PHILIPPO III. *Hispaniarum Rege potentiss.*
Fidei Catholicæ defensore imperante,
Petrus Enriquez Alzevedius Fontium Comes,
externi belli victor & domestici exstinctor invictus
dextera amabilis, sinistra formidabilis
bene agentibus distributis præmiis
improbis vero suppliciis
Carcerum fores Regiæ Curiæ objecit,
ut Principis advigilantis oculus
fidissima sit justitiæ custodia.
MDCV.

Ante *Portam Ticinensem* marmori cuidam incisum legitur:

PHILIPPO TERTIO, *Hispaniarum & Indiarum Maximo & Potentissimo Rege*, Mediolani Duce Regnante.

D. D. Petrus de Enriquez Alzevedius, Provinciæ Mediolani Gubernator, vel opere hoc præclaro Fontium Comi, Verbani & Larii huc ductas aquas irriguo, navigabilique rivo, Ticino & Pado immiscuit, ubertatem & jucunditatem agrorum, artificium studia publicas & privatas opes accessu & commercio facili amplificando.

Non procul a templo, St. Laurentio dicato, prope viam publicam conspiciuntur quidam *arcus antiquissimi*, quorum ultimus urbem versus sequentem continet inscriptionem:

Imp. Cæsari
Lucio Aurelio Vero

Med.

Med. Parthico
Max. Trib. Pot. VII.
Imp. IIII Cos. III. P. P.
Civi Antonini Pii,
Divi Adriani Nepoti,
Divi Trajani Parthici Pronepoti
Divi Nervæ Abnepoti
Dec. Dec.

In via publica, verſus portam Ticineſem ducente, offendes a manu ſiniſtra ***columnam quandam infamem*** cum hac inſcriptione:

Hic ubi hæc area patens eſt
ſurgebat olim Tonſtrina
Jo. Jacobi Moræ,
qui facta cum *Guilielmo Platea* publ. Sanit.
Commiſſario,
& cum aliis conſpiratione,
dum peſtis atrox ſæviret,
Lætiferis unguentis huc & illuc aſperſis,
plures ad diram mortem compulit.
Hos igitur ambos hoſtes Patriæ judicatos
excelſo in plauſtro
candenti prius vellicatos forcipe,
& dextera mulctatos manu
Rota infringi,
rotæque intextos poſt horas ſex jugulari,
comburi deinde,
ac ne quid tam ſceleſtorum hominum reliqui ſit
publicatis bonis
cineres in flumen projici
Senatus juſſit.

Cu-

Cujus rei memoria æterna ut ſit,
hanc domum ſceleris officinam
ſolo æquari
ac nunquam in poſterum refici,
& erigi *Columnam*,
quæ vocatur *infamis*,
idem Ordo mandavit.
Procul hinc, procul ergo
Boni Cives,
Ne vos infelix infame ſolum
commaculet.
M D C XXX. Kal. Auguſti
Præſide pub. Sanitatis M. Antonio Montio
Senatore.
R. Juſtitiæ Cap. Jo. Baptiſta Vice-Comite.

In loco *Mercatorum* publico certæ cuidam domui inſcripta leges:

Palatinas
dilapſas ædes
Auſoni ſimulacro,
& carmine reſtitutis.
Petrus Georgius Burrus
Urbis Præfectus,
ac XII. Ædiles
objectam æmulati
magnificentiam
decreto
inſtaurant
M D C XLV.

AD INSCRIPTIONES PROFANAS.

In *pariete unius* ex aulis *Bibliothecæ Ambrosianæ* literis æneis super lapidem marmoreum:

LEONARDI VINCII
Manu & ingenio celeberrimi
Lucubrationum Volumina XII.
Habes ô Civis
Galeaz. Arconatus
inter Optimates tuos
bonarum artium Cultor optimus
repudiatis regio animo
quos Angliæ Rex pro uno tantum offerebat
aureis ter mille Hispanicis
ne tibi tanti Viri deesset ornamentum
Bibliothecæ Ambrosianæ consecravit
ne tanti Largitoris deesset memoria
quem sanguis quem mores
Magno Federico fundatori
adstringunt
Bibliothecæ Conservatores
posuere
anno MDCXXXVII.

In Museo Bibliothecæ vicino sub sceleto quodam:

Ut
Ægrotantium
saluti
mortuorum
inspectione
viventes
prospicere

pos-

poſſint
hunc
σκελετον
P.

VERONA.

INSCRIPTIONES, QUÆ IN ÆDIBUS SACRIS CONSPICIUNTUR.

In *Baſilica* lapidi ſepulchrali inciſum legitur:

Oſſa Lucii III. Roma pulſi invidia.

In *Veſtibulo Sancti Zenonis Majoris* prope portam ſub effigie *Regis Theodorici:*

O Regem ſtultum petit infernale tributum,
Moxque paratur equus, quem miſit Dæmon iniquus,
Exit aqua nudus petit infera, non rediturus
Niſus equus cervus canis huic datur, hos dat Avernus.

Non procul ab hac inſcriptione vides *Epitaphium Roſimundæ*, uxoris Regis Alboini:

Hic jacet in tumba
Roſimunda non roſa munda,
non redolet, ſed olet,
quæ redolere ſolet.

INSCRIPTIONES PROFANÆ.

Sub *periſtylio conſilii Duodecimvirorum:*

ALO-

ALOYSIO VALARESSIO Eq. Sen. ampliſſ.
qui furente bello, graſſante lue
hoſtem fataque compeſcuit,
præ cunctis ſemper impavidus
Veronam qui funeribus labantem adivit
proprio ut periculo ſervaret,
ſecuriora aſpernatus loca
Egenis quipam ſtipem ſepul. quæſivit
Ne fames magis ſtiparet magis ſepulcra
Prov. Sal. adplaud. civit. ex conſ. D. P. P.
Servatori veluti Numini
Lapide funerum auro beneficii
memoriam perennantes
abeunte tandem ſævitie anni MDCXXX.

Non procul Verona conſpiciuntur adhuc *rudera* quædam *antiquorum Junonis balneorum*, ibidemque ſequentes duæ inſcriptiones:

GADIUS MAGULLA
Hær. Sec. non habet
Junonis balnea
ſed habet omnia
balnea, vina, Venus corrumpunt
corpora noſtra
ſed vitam faciunt B. V. V.

Quæ. multum. Syrenarum. cantu. dulcior.
&. quo. ad. Bachum. in. ſodàlitiis. magis.
aurea. Venere. quæ eloqui. voce. clarior.
irundine. &. quæ. ad. Junonis. fontes.
cœleſtia. ſolatia. capiebat.
Hic. Turpilia. jacet. Biſio. linquens. lachrimas.

cui.

cui. fuerat. ſolatium. a. pueritia. illa.
autem. tantam. demum. inopinate. disjunxit.
amicitiam.

In *thermis Calderinis*, itidem non procul Verona diſtantibus, ſequentem leges inſcriptionem:

Præſens auxilium medela inempta
Salve nobilis unda: Mantuanis
Princeps, quam bibit, & bibit ſalubrem,
Cui Florentia Pontifex, quæ debent
quod tantum incolumem Ducem remittis,
Felices ſcatebræ. Omnia unque. primæ
Fed. II. Marc. Mantuæ
a Secretis Marius Equola
Kl. Auguſti M D XXIII.

In frontiſpicio *ædium*, maximam partem incendio conſumptarum, quæ in *foro majori* conſpiciuntur:

Scipiadum vera ſoboles HIER. CORNELIUS
non everſæ Carthaginis gloriam
ſed inclytas Avorum virtutes æmulatus
Præfecturam prudentiſſime gerens,
molem hanc vix ſolo emergentem
ecce in quam amplitudinem extulerit.
cIↄ Iↄ C XI.

In Hortis Comitis Juſti ſub Statua Cereris:

Ne quid Veneri
deeſſet
cum Bacco Ceres
aſſociatur

Hi-

Ibidem sub statua Veneris:

Sine me lætum
nihil exoritur:
statua in Viridario
mihi posita est
Ut in Venere Venus
esset.

Ibidem adhuc *sub statua Bacchi:*

Ambulator ne
trepides
Baccum Amatorem
non bellatorem
ad genium loci
Dominus P.

VICENTIA.

INSCRIPTIONES SACRÆ.

In sacello quodam Basilicæ:

ISABELLÆ PLOVENIÆ
Conjugi optatissimæ ipso in flore juventæ
repentina immanis heu morbi
rabie præreptæ
Lemardus Luscus hoc amoris
& fidei monum. erexit
sub quo etiam cineres locari
suos jussit
ne quor. animi conjunctissimi
vixerant
ossa deinc. plurimum dissita

conquiescerent
Vixit ann. XXVII. obiit V. Kal. Julii
M DC XXVI.

In *frontispicio Ecclesiæ*, *St. Barbaræ* dicatæ.
Senio fatiscens Ecclesia
V. Kal. Mart. A. MDCXCV. horrendis motibus
universa nutante urbe
propemodum excussa
e situ ac ruderibus elegantior exsurgit
A. MDCCII.

PROFANÆ.

In *Frontispicio Curiæ:*

Si quæ Cœlicolæ magni Vicetia ponit
Vos aræ & cum aris aurea templa juvant.
Ingentem hanc molem æternum servate per ævum
Protegite & seclis innumerabilibus.
Namque ipsam æterno Bernardi erexit honori
Grati æterna animi signa futura sui.

Parieti *carcerum publicorum* inscriptum:

Disce justitiam, pietatem venerare
ne diffractis claustris alteram ludere sit fas
vel impio
Senatus præscripto alterius vicesimarum erogando
carcerem olim penitissimo prætorio conditum
mox enervum tabificum
tanquam Epidaurius salubri afflatu
promovente Thoma Pisano Prætore
civitas struxit roboravit.
Ex decreto anni cIↃ IↃ C IV.

In

In *hortis Comitis Valmarana* extra portam Veronam ducentem:

Si. te. ingredientem. graviores. forte.
Huc. usque. insecutæ. sunt. curæ.
Eas. velint. nolint. procul.
Nunc. ut. abeant. facito.
Hilaritati. namque. &. genio.
Pars. hæc. potiss. dicata. est.

Cedros. hosce. qui. dempserit.
Floresve. carpserit.
Is. sacrilegus. esto.
Vertumnoque. &. Pomonæ.
queis. sunt. sacri.
Pœnas. luito.

Civis. Amice. Advena.
Qui. loci. amœnitate. cupis. oblectarier.
Securus. huc. ingredere.
teque. largiter. recrea.
Nullus. intus. canis. nullus.
Draco.
Nullus. falce. minaci. Deus.
Omnia. sed. tuta. benigneque.
exposita.
Sic. voluit. Comes. LEONARDUS.
VALMANARA. Hortorum. Dominus.
Modestiam. quod. tuam. &. continentiam. custodem. fore. fidat.
opportunum. Anno MDXCII.

PATAVIUM.

INSCRIPTIONES SACRÆ:

In *templo Cathedrali* penes chori ſcalas in lithoſtroto attritum antiquum marmor, ubi *effigies Epiſcopi* & caracteres exciſi:

BERNARDUS MALTRAVERSUS Eccleſiæ Patavinæ Pontifex almus, quem exaudiat Parens omnipotens, veneranda caterva Patrum. Precemur ergo Deum, qui regnat ſupernis, ut nobis præſtet gaudere cum ipſis.

Cum *figura Canonici* quieſcentis humi, BARTHOL. ROFINUS DE GIROLDIS Canonicus Paduanus:

Vermibus hic donor, & ſic deſcendere conor,
Qualiter hic ponor, ponitur omnis honor.
Quisquis ades, tu morte cades, ſta, reſpice, plora,
Sum, quod eris, quod es, ipſe fui, pro me, precor, ora.

E Regione ſimulacrorum *Bertæ & Henrici Regis* in pariete ſub ſtatua marmori exciſa:

CAJETANO clara ex familia THIENEA Canonico Bat. Viro integerrimo proboque Theologor. Principi, Philoſopho eximio, cujus doctrina cuncta Orbis Gymnaſia illuſtrantur, locus hic datus eſt.

In *Sacello Beatæ Virginis*:

D. O. M. LEONELLUS LEONIUS ex Co-

Comitib. Sanguineti Nob. Venet. Redempt. Mantuæ Eques, hujus Eccl. Can. officio, & consuetudine Principib. carus, paterni in fratres animi, sinceræ in Amicos fidei, diuturnæ podagræ doloribus vexatus, vitam pro pœna, mortem habuit pro remedio. An. ætat. suæ LXIV. Domini MDCLXII.

Ab hoc non longe distans:

Amici vivite læti, sed non immemores lethi, interim rogate Deum, ne animam Custodis NICOLAI TARTARI absorbeat Tartarus. Obiit Anno MDCL.

Ad dextram *Aræ S. Caroli* in pariete marmor elegans.

D. O. M. CAROLO PATINO. Paris. Eqv. D. M. prisc. Numismat. studiis clariss. fama celeberrimi Patris æmulato, e patrio in Patav. Lyceum excepto, post totam Europam lustratam, præmiis & Majorum Principum gratia aucto, cum calumnia feliciter luctato, ac pro fundamento virtutis, fortunæ ruinis uso, ob veterem eruditionem erutam, posterorum cultum promerita *Magdalena Ommetz* Paris. Ux. Gabr. Carola Santa Paulina & Carol. Cath. Filiæ, extremo amoris argumento, annuente Capitulo parentant. Ob. an. MDCXCIII. V.I. X. Oct. ætat. suæ an. LIX. mens. VIII. D. X.

In Sacra æde D. Annæ:

ELISABETHÆ BUZACARENÆ, cum qua an. XXVIII. conjunctissime vixit *Ursatus Ursatus* Eques & sibi, cæteris omnibus exclusis po-

fuit, ut ne mors quidem vel mortalium ullus eorum corpora mortua divelleret, quos vivos unus & idem Spiritus rexit fœdere concordi. An. 1629.

In Æde S. Augustini post aram maximam in Lydio lapide literis auratis cœlato, Mag. HIERONYMI HERCULANI Pat. viri clariss. inscriptio:

Adsis quicunque hæc sacra limina teris
Non sine Beseleel, & Oliab arca Domini;
sacratiss. hoc Augustale
tabernaculum splendidissimum,
ubi Omnipotens habitat cum hominibus,
pietas Patrum fundavit,
charitas fidelium auxit,
cunctis autem complementum dedit Deus.
Disce,
quod pietate res parvæ crescunt,
impietate maximæ dilabuntur.
Nil sine Numine Divum.
Hoc te volui.
Numen pronus adora, & abi.
P. P. die XX. Martii anno Christi æreæ
MDD LXIII.

Non *procul ab ara Annunt. B. Virginis:*

ALEXANDRI DOCTORII Equ. & LUCIÆ ZACCHÆ Nob. Venet. hic cineres quiescunt, quos non minus thalami, quam tumuli consortes eodem Anno, Mense, Hebdomada, rapidissimum Fatum sustulit. Quorum neuter se alteri superstitem; Neuter præmorientem se novit,

sed

ſed pares pietate, fide, funere, voluntate, hanc ſibi deſtinarunt ſedem, ut quos Amor junxerat, Mors non divideret. Hæc XII. Ille IX. Kal. Maji obierunt 1682.

In Sacello Roſarii:

JULIÆ TASCÆ SAROTTI Venet. hic oſſa conduntur, quæ propriæ conſulens incolumnitati, Veneti dum maris fugit æſtus ſecurum portum invenit, Patriæque dum propter Deum valedicit, Patriam cœlum promeruit XVII. Nov. MDCLXIII. æt. XLIII.

Humi prope fores turris campanariæ FORTUNII LICETI monumentum:

Mortales ita vivite, ut Mens ſit in ſepulchro, dum Corpus extra tumulum. Nam huc lato cadavere cœlum aſcendet Anima. Hoc eſt ſolidum ſapere.

Intra cœnobium ipſum:

JOANNI HIERONYMO GRANDIS Pat. Statuario eximio variaque cælatura auri, argenti, gemmarum, ærisque præſtantiſſimo Vincentius Patruus, iisdem artibus inſignis, in ſenectute ſuperſtes mœſtiſſ. poſuit.

Hic ſitus eſt, fuſo qui ſemper præſtitit ære,
Vincere qui potuit marmore Praxitelem.
Nomine GRANDIS erat, factis ſed grandior ipſis,
Eois fama notus & Heſperiis.
Vix. ann. LII. Obiit die XXII. Martii MDLX.

In *Ædicula S. Petri Martyris* statim in ingressu ad dextram in pariete:

Respiciens finem CAROLUS SCAPINUS Patavinus hoc sibi, posterisque suis tantum monumentum paravit lætus. *Franceschina* ejus uxor hic primo tumulata cæteros expectat. M D C LXXVII.

In Parochiali S. Thomæ Cantuariensis.

Dilectæ & æternæ memoriæ Conjugis citra parem merentis CATARINÆ WETENHAL ex *Calto Talbotorum* sanguine Anglis venerando, Gallis tremendo oriundæ *Joannis Comitis Salopiæ Watefort* &c. filiæ, quæ indignata arctiori se Britannico Mari ab Orbe pene toto secludi, cum ingentibus animis, majori pietate, Mariti amore longe maximo Belgio, Gallia, Italiaque peragratis seculari anno Romam esset profecta, non contenta visis ibidem Cœli clavibus, ipsa usque Cœlum & portam sanctiorem arsit intrare Angelicam in Patriam, non Angliam reditura, nec jam Alpes superatura, sed Olympum. Amans mœrensque Conjux *Thomas Wetenhal* pos. Obiit Pat. Prid. Non. Jul. an. 1650. ætatis suæ flore virtutum messe.

In templo readificato sepultura Sacerdotum:

Sacerdotes ex familia *Divi* PHILIPPI NERII, perducto ad fastigium templo, omnique cultu exornato, supremæ horæ memores, hoc conditorium exuendo mortalitati sibi reservarunt.

Sepultura Laicorum.

Divi PHILIPPI NERII *sodales* iis hominibus,

nibus, qui in societatis ministerium adsciti sedulam ac fidelem operam viventes præstiterunt, labore ac vita functis, hanc quietis sedem grato animo prospexerunt.

Puerorum.

Puellis innuptis acerbo mortis funere raptis ab ubere, ac vitæ limine infantibus castis & innocentibus animulis, commune sepulcrum. Humanæ imbecillitatis monumentum, ignotorum lacrymas exciturum, *D. Philippi Sacerdotes* statuerunt.

Muliebris sexus naturæ divortio ab charissimorum latere abstractus, in morte etiam pudoris retinens hic a viris secubat.

Ante *Altare S. Philippi.*

Ut quos eadem sacra conjunxerunt, idem tumulus capiat, hujus parœciæ viros huc recipi Patribus placuit, relicto etiam exteris loco, si quis studio in hoc sodalitium ossa ac cineres miscere voluerit.

In Sacello *S. Andreæ Corsini*, templi *Carmelitarum* in dextro latere marmori pulchro incisum:

ELISABETH SALOMONIÆ Patriciæ Venetæ Nuptæ Innuptæ ipso sponsalium momento extinctæ. *Nicolaus Comes de Lazara* Eques inter utramque facem desolatissimus pro thalamo tumulum posuit, ut saltem cineres & ossa misceret, ann. 1673.

Supra *januam cœnobii* in basi monumentali cum statua marmorea:

Hic cineres MAGNI DECIANI. Sufficit illud.
Discas audito nomine quantus erat.

Ante *Altare majus Epitaphium Bologna:*,

Lux Antenorei laris Decusque,
Martis gloria cui parem peracta
Nec præsentia nec dabunt futura
Secula, Euganeo dolente cœtu.
Hic ANTONIUS situs est BOLOGNA.*

* Vir militaris & strenuus Tribunus, qui post insignia munia in patria peracta, adulterii falso insimulatus lethaliter vulneratus interiit.

In *pariete Parochialis S. Jacobi Apostoli* sub insignibus gentilitiis:

Amice Lector salue. Si cupis fortasse scire, cujus sit hoc monumentum. JOANNIS BONIFACII *Sebastiani F.* honestiss. parentibus nati, in liberalibus disciplinis educati, Iurisconsulti, Historici, Assessoris, Civis Rhodigini, Tarvisini, Patavini, propinquis benefici, amicis grati, Principibus Viris chari. Qui si magna non fecit scribenda, plura tamen scripsit legenda, quæ si tu bene inspexeris, qualis ipse fuerit, melius intelliges, & illius memoriam servabis, & bene vale 1633.

Ibidem humi:

Familiam CARRERIAM longa Avorum serie toga sagoque Civitati perspectam, ALEXANDER Presbyter Iuris Consultus clausit, cujus etiam cura hoc sepulchrum exuit vetustatem, anno Domini 1625.

In

In St. *Johannis in Viridario* ſub ſtatua ænea in pariete:

LAZARO BONAMICO Baſſanenſi, in quo uno totius antiquitatis memoriam eruditionem, judicium & eloquentiam ſibi redditam putans Europa per annos XX. & unum Patavii admirata eſt. *Catherina* Conjux & *Lucretia* Senis animula bene merenti poſuere. Vixit annos LXIV. Obiit IV. Idus Februarii MDLII.

Humi ſupra ſepulchrum:

Lazari Bonamici, *Catherinaque* Ux. cariſſ. in ſecundum Redemptoris adventum quietis ſedes D. H. M. D. M. A.

In Æde S. Auguſtini P P. Ord. Prædicat. in amplo dormitorio ſuperiori ſtatim poſt aſcenſum ſcalarum, ſuper oſtium parvi cubiculi, quod *Albertum Magnum* inhabitaſſe ferunt.

D. O. M.

Quam legis, Alberto domus hæc fuit hoſpita MAGNO
Parva quidem haud parvo, ſed tamen ampla Viro.
Parvus erat, ſubiit parvæ cum limine portæ,
Magnus at exiguo ſub lare factus erat.
Senſerat hoc, dixitque ſuperba Ratisbona Magnum
Hoſpitem in hoſpitio diſpare, Padua, colis.
Archi-ſacerdotis mitram, magnosque Penates,
Accipe magna *Ratis*, ſic *Bona* navis erit.
Poſt majora Deus referans palatia Magne
Dixit habe Magni magna theatra Poli,

Au-

Audiit & magni Propylæa petivit Olympi
Num majore capi limine magnus habet.

Pictam memoriam pene deletam Fr. *Jacobus Salomonius* sac. Theol. Magis. Doct. Colleg. & jam tertio regens marmoream ponere curavit, anno MDCLXXXIV.

Sacrum
Deo ter Maximo Numini,
Alberto ter Magno Lumini.

In *templo Sancti Pauli* juxta Aram S. Josephi humi in quadrato marmore:

Hoc exutæ mortalitatis conditorium BARTOLOMÆO BREDDÆ, quem mors æquavit omnibus, virtus exemit a plurimis. Sibi & Consanguineis *Hieronymus Bredda* Nepos Amantiss. P. Ann. 1669.

Apud Augustinianos SS. Philippi & Jacobi:

Monumentum Illustrissimi Domini Baronis LUDOVICI AB HERBESTEIN, &c. Quem Hierosolymæ militantis Equitem ad triumphantis Curiam fata Antenorea feliciter transtulerunt die IV. mens. Octobris Anno MDCLIV.

Ibidem apud Mussorum sepulcbrum:

Christus Augustinus Maria.
Hic pascor a sanguine hic lactor ab ubere,
Positus in medio, quo me vertam nescio.

Angeli Marini Epitaphium:

Viator, hic sita sunt ossa ANGELI MARINI,

NI, egregiæ innocentiæ & doctrinæ, qui civile ac criminale Jus ſepties cum gloria reddidit Antenoridibus, Palingeneſiam expectat, mundi Principibus ignotam. Vale.

Ibidem duorum Juvenum Galli, & Poloni.

Siſte, legas Juvenum crudelia fata duorum,
Alter aqua periit, turpiter alter equo. 1539.

Ibidem in periſtylio:

Gradum ſiſte, & contemplare peregre conditos cineres Nobilis Viri JULII AB EYSINGA, qui Friſiæ patriæ flebilis occidit, dum extra patriam in patriam tranſiit, ſed illuſtri atque infracto Belgæ non fuit gravior foris, quam domi mors, ubi *vir*, in cœlum ſubſilit animus, originis ſuæ memor, æternum ibi dum gaudet, & tu lætare. Ob. An. MDXLVII. Prid. Kal. Feb. æt. ſuæ XXIV.

Humi vero in lapide:

JULIUS AESINGA celeri quam morte peremptus
Famam orbi liquit, dum fuit urna ſolum.
Quod virtus poſt fata manet, tu diſce Viator,
Ætas quam celeri labitur ipſa pede.
Sic roſeo potuit florente perire juventa,
Stemmate gentili, ſtemmata facta poli.

In pariete templi:

ERNESTUS DE ET IN TRAUTMANSDORFF, Lib. Baro in Gleichenberg, Negau & Burgau & Tozenbach, dum fragrantem avitæ gloriæ odorem nova doctrinæ virtutisque coro-

corona aucturus, in amœno Musarum prato flores legit, in ipso juventutis flore, floris instar, invida fati falce concidit, Patavi anno M D - - die - - mense - -

Ibidem:

S. D. G.

Non hic est LUDOLPHUS AB ASSEBURGH, sed fuit, & erit, nec Germania amplius, sed cœlum Patria est. Ex nobilissima familia fuit ortus, in familiam Christi est adoptatus; quos dereliquit in terris tristissimos, exspectans videbit in cœlis lætissimos, pientissima vita, morumque integritate fuit ornatissimus, volensque ex Italia in Galliam ire, atque hac peregrinationem plus informare ad naturam accessit, primamque ejus implevit legem, idque fecit XXVI. die Julii an. M D C IX. ætatis suæ XXII. Hæc non tam omnium Cognatorum, quam nobilissimi testantur lacrymæ, quibus Viator ni moveris non tam ferus, quam ferreus, & mortuo mortior judicare.

Quam bene. Qui vixit bene, qui bene mortuus, illum
In terris remanet laus, & in axe salus.

Ibidem:

Viator
Fui quod es, sum quod eris.

BALTHASAR A DOBERITZ, Eques Marchiacus Germanus, quem nec nobilitatis splendor, nec virtutis gloria, nec flos ætatis a morte defendere poterant. Pat. An. M D C X.

Al-

Altius in pariete marmor elegans:

Piis. manibus. ſtrenui. &. nobiliſſ. Dn. MELCHIOR. FRIDERICI. AB. HUNIGKE. Equitis. Germani. Viri. ingenio. &. virtute. ſupra. ætatem. cujus. præcoci. &. inopina. morte. lugent. ac. dolent. amiſſa. bonum. ſuum. Patria. Solatium. Parens. Amorem. Fratres. Officium. amici. benevolentiam. cuncti. Vixit. pius. annos. XXII. Obiit. diem. ſuum. Patavii. VII. Decembr. anno. M D C XXIII.

Scipionis Gonemii Elogium in æde *Spiritus Sancti* P. P. Minimorum S. Franciſci de Paula.

SCIPIONI GONEMIO *Equiti Cyprio*,
Agnatione ſua, Cognatione Podocathara
& Sozomena,
Affinitate Syncliticorum,
Et Magnorum Stabuli in Cypro Comitum de Avila
claro.
Juriſconſulto
Raræ in ſumma Nobilitate Modeſtiæ,
Summæ in barbara Jurisprudentiæ parte elegantiæ,
Miræ in extrema ſenectute memoriæ,
intra probitatem comi,
citra faſtum docto,
ad normam Pietatis prudenti,
Feudalis rei Profeſſori Patavii publico,
eademque in re Venetæ Reipublicæ a Conſiliis,
Viro optimo,
Amicorum maximo,
Parenti ex obſequii & caritatis officio venerabili,

Ni-

Nicolaus Comnenus Papadopoli Creten.
Abb. S. Zenobii Philoſ. S. Theolog. ac J. U. D.
& publicus S. Canonum Anteceſſor
Mœſt. H. M. P.
Vixit annos X C VI. Obiit die & hora natali
VII. Kal. Decemb. an. M D C C.

In albo Marmore *Parochialis S. Laurentii:*

D. O. M.
LAURENTIO PIGNORIO,
Alteri hujus Eccleſiæ primum Parocho
Deinde Tarviſii Canonico
Pietate ac morum ſanctitate ſpectatiſſimo
Vero candoris & pudoris exemplo
Literarum omnium cum graviorum tum politiorum peritiſſimo,
Penitioris antiquitatis non minus certo quam curioſo indagatori,
Patriæ, amicorum, & ſui ipſius memoriæ
luculentiſſimis ſcriptoribus Propagatori
Muſarum denique & Gratiarum corculo & ocello.
Dominicus Molinus Sen. Ven.
Amico ac hoſpiti cariſſimo & jucundiſſimo P.
Obiit ann. cIɔ Iɔ C XXXI. Idibus Junii
Vixit ann. LIX. menſ. VIII.

In æde *S. Franciſci Ord. Min.* de Obſervantia ad dextram Januæ majoris in ingreſſu ſub Imaginibus:

JACOBO SCARABIZIO, Patavino, in quo Moderator temporum munerumque largitor DEUS, annos ſimul ac virtutes contraxit, cui annum quartum ſupra decimum vix agenti & morum

rum integritas, ingenii ſolertia, ſermonisque blandita fuit, ut Patavinis Civibus foret exemplo, amori & admirationi. Nunc, veluti lectiſſimum in terris florem, Cœlo jam gratiſſimum, quo Nonas Martii non tam veris, quam æternis ingreſſus in amœniſſimum delitiarum hortum, ſubinvidi transtulere Superi. Sebaſtianus Pater, in Patavino Lycæo publicus Medicinæ Lector, acerbiſſimum animi dolorem hoc uno leniens, quod jucundiſſimo unici Filii conſpectu convictuque, in Cœlis iterum fruiturus, flagrantis deſiderii monumentum poſuit MDCLIV.

Ibidem in alio loco:

MDVIII. quisquis es VISCONTI oſſa de *Vice Comitibus Mediolanen.* hic poſita caſte attingito, neue iis aliorum cinerum immiſceto; ita decreto cautum eſt.

Non procul ab Ara Redemptoris:

Ny trop, ny peu; id eſt, nec nimis, nec minus.

D. O. M.

Ne puta Viator, Italum hominem hic ſepultum, licet in Italia, & Paduæ, quæ Italiæ velut ocellus; nam qui jacet *Franc.* eſt, & inter Franciæ Nobilitatis togatos Vir primarius, quod te nomen & cognomen plenius docuerint. Noſti ne in Hiſtoria Franca doctum adprime & præſtantem Virum Jo-JOANNEM TILLIUM, ejus Memorialia nunquam ſinent ab hominum memoria hominem tantum excidere, nam dum Francia erit, dum Mundus erit, hæc Hiſtoria erit. At hujus hic Filius fuit

ejusdem nominis & cognominis & dignationis & muneris, quippe in amplissimo Parisiorum Senatu Actuariorum princeps, & Baronatus de la Bussiere Dominus, ut Primo Vir ingenio validus, judicio vividus, Franca suavitate suavissimus, qui turbata Gallia dum in Italiæ quasi Italiæ sinu inter amœniss. pacis flores conquiescit, animam efflavit tranquil. & corporis exuvias hic reliquit, Anno Domini MDCXIV.

Pone *aram S Bartholomæi*:

CHRISTOPHORO LONGOLIO, Belgæ, Romanam civitatem propter eximiam in studiis literarum præstantiam adepto, summo ingenio, incredibili industria, omnibus bonis artibus prædito, supra juventæ annos, in qua exstinctus est, magno cum Italiæ dolore, cui ingentem spem sui nominis excitaverat, *Petrus Bembus* Amico atque Hospiti posuit.

Te juvenem rapuere Deæ, fatalia nentes
Stamina, cum scirent, moriturum tempore nullo,
LONGOLI, tibi si canos seniumque dedissent.

In templo *St. Antonii P P. Conventualium S. Francisci* penes sacellum S. Joseph ad operosum figuris & insignibus præclarum marmoris monum.

Dividit in geminos concordia fata duorum.

Age mors. falce defuncta, calamum stringe, succissasque vitas ævo vitaliori compensatura, scribe PETRI *Eq. D. Marci atque* DOMINICI DE MARCHET-

CHETTIS mortales exuvias hoc tumulo contineri, præter has nihil non immortale. In Anathomico Theatro, in primariis Chirurgiæ ac Medicinæ exedris, in desperatis morbis, in editis librorum monumentis, Urbs, Patria, Principum Aulæ Orbis universus nunquam mortales credidere. Egomet, pudet fateri, sed cogit superstitis *Antonii* in Patrem & Fratrem pietas perennatura, tantum in me licuisse Marchettis, sæpius obstupui. Mortem quis dicere falsam audeat? Nondum vel falce, vel calamo didicit adulari. Ann. D. MDCLXXXX.

Extra chorum e *regione sacelli Nob. de Buzzaccarenis* marmor cum picta imagine:

Admodum Rev. Pa. LUDOVICO MAJOLO Patav. qui omnes honorum gradus emensus, incertum sapientia, an eloquentia clarior, Urbes ac Gentes ita in se circumegit, ut, cum fama eum præcederet, major ubique inventus sit ... summa vitæ gravitas & integritas, & in negotiis expediendis conficiendisque mira dexteritas commendaret. Idem templum & ingenii theatrum, & nominis monumentum obtinet. P. P. Almi Cœnob. S. Ant. B.M.P. Ann. MDCLXVIII.

Inter *Sacellum S. Felicis Crucifixi* splendidum monimentum variis figuris affabre ornatum, sub effigie:

OCTAVIO FERRARIO, Mediolanensi, in quo ornando & extollendo Magni Reges ac Principes certarunt. Veneta Respublica præter alia

decoramenta bis mille florenorum honorario auxit. Ludovicus Magnus Francorum Rex ſponte ducator. quingentorum annuorum diu indulſit. Chriſtina Auguſta Equeſtri inſigni extulit. Ille Regum opes, ac munera animo æquans, facundia, fide & conſilio invidiam, aut vicit, aut gloriæ incitamentum habuit, ſeptem & quadraginta annos cum admiratione publice auditus eſt, quinto & ſeptuageſimo primo obticuit, quamdiu litteris honor conſtabit, ſcriptis apud poſteros locuturus. Julius Ferrarius A. MDCLXXXIII.

Super ſacellum St. Antonii noviter exſtructum in templo hujus nominis:

Sacræ hujus molis conſtituendæ decretum,
oblivione & difficultate jacens,
Angelus Diedo D. M. Proc.
exequi curavit,
cujus beneficii memoriam
Ven. arcæ Præſides
ſenatori P. M. poſuere
anno MDCCV.

Non procul ab hoc ſacello conſpicitur tumulus *Principis* cujusdam *Mirandulana*, cum ſequenti inſcriptione in marmore:

Hic jacet
ſereniſſima Princeps BRIGITTA PICA MIRANDULANA Memoriæ immortali.

Intra *Portam Aquilonarem ad* columnam, ad operoſum figuris & inſignibus præclarum mauſoleum.

HELENÆ

HELENÆ LUCRETIÆ CORNELIÆ PISCOPIÆ *Baptistæ* Jo. *D. Marci procuratoris Filiæ Heroinæ*, animi celsitudine, pietate, castimonia, omni literatura, & septem linguarum peritia singulari, cum ab aliis Europæ Magnatibus, tum vel maxime ab Innocentio XI. P. M. perhonorifico diplomate, & ab Jo. III. Poloniæ Rege, datis ad eam Epistolis summopere commendatæ, quæ posthabitis Virorum Principum connubiis, ante D. Benedicti Antistites DEO primum virginitatem vovit, post ampliss. ædibus in asciteria, & peripatum conversis, ferreis uncis membra, divinis philosophicisque contemplationibus mentem acrius exercuit. Demum in celebri Patav. Collegio unico post hominum memoriam exemplo Philosophiæ lauream adepta, Coronam prævenit, quam ipsi morum innocentia augurabatur in Cœlo. Obiit Ann. MDCLXXXIV. XXVI. Iulii ætatis suæ XXXVIII.

In *columna vicina aræ B. V. & S Bernardini* cum statua elegantissimi operis cenotaphium *Cardinalis* Bembi.

PETRI BEMBI Cardinalis imaginem, *Hieronymus Quirinus* Ismaelii filius in publicum ponend. curavit, ut cujus ingenii monumenta æterna sint, ejus corporis quoque memoria ne a posteris desideretur. Vixit ann. LXXVI mens. VII, Dies XXIX. Obiit XV. Cal. Febr. 1547.

Sub statua lapidea nigra in marmore pulchris literis.

 D. O. M.

D. O. M.

Fui CHRISTOPHORUS *Burggravius L. Ba.* DE DOHNA, Ottonis F. Zulauffensium inter Silesios Dnos. ad quos redire meditantem, mors breviore via transtulit in cœlum. Abii, non obii & cœpi vivere, cum vivere desii, mutavi æternitate adolescentiam, nihilque mihi ereptum est, nisi quod tempus erat ereptum.

Inclyto huic Neroi, quem lustrata Italia & magnæ ubique avitæ virtutis specimine relicto, Patavium reversum febris exstinxit, *Anna Dyhria* mater Vidua & *Cunradus* Fr. mœstiss. P. P. Obiit an. cIↃ IↃ CXIV. IV. Kal. Jan. Vixit ann. 19. d. 10.

In parte Occidentali perystilii super lapidem album:

PIERIO VALERIANO Bellunensi Poëtæ, Rhetorique amplissimo, cujus pia umbra non pœnitendum hic tumulum sortita est. Nam ut optabilis in patria, ita speciosius Patavii Officii supremi decus fato amissum virtute recuperavit. *Petrus Carrarius* ac *Jo. Baptista Rota* Patavini unanimes grato hospiti P. P.

In *templo S. Justinæ P P.* Cassinensium Ordinis S. Benedicti ad speciosissimam S. Justinæ aram:

D. JUSTINÆ mortales exuvias, arcana Urbis pignora, tot seculorum depositum, Civium pietate mille cladibus ereptum; *Monachi Cassinenses*, Regia templi mole complexi, Veneta Majestate cuncta refovente, his demum penetralibus sacrarunt An. MDCXL.

Con-

Condita est in hoc templo in Monachorum tumulo HELENA LUCRETIA CORNELIA, cum hoc elogio:

D. O. M.

HELENÆ LUCRETIÆ CORNELIÆ PISCOPIÆ Joannis Bapt. D. M. Procurat. filiæ, quæ moribus & doctrina supra sexum & laurea ad memoriam posteritatis insignis, privatis votis coram Cornelio Codanino Abbate Sancti Georgii Majoris Venetiarum emissis, S. Benedicti institutum ab ineunte ætate complexa & religiose prosecuta, in Monachorum conditorium, ut vivens optaverat, post acerba fata admissa est Monachi H. M. P. P.

Anno Redemptoris MDCLXXXIV.

In Claustris:

D. O. M.

ANDREAM DE LEGE

Invictum legum vindicem testatur nomen, prudentem moderatorem, Patavina testatur Prætura, suum Jovem non rubente dextera sacra jaculatam Arces, sed rubente purpura erubescenda deterrentem flagitia, in suas revocata ædes astrea indigitet, suum cœlitus delapsum caduceatorem, tetra dissidiorum gemina averruncantem, præsenti præsidio Patavino perpetuo præfuturum, profuturum, vel ipsi in mutas voces animati loquuntur parietes. Cassinensium Cœnobii D. Justinæ Patrum in tacitos plausus amentur marmora, Protectori, Patrono, Patri optime merito, perennis gratitudinis monumentum. Anno Domini MDC XLIII.

In Æde Beatæ Virginis Vestalium Capucinarum, Cenotaphium in pariete cum effigie:

PAULO TOMASINO, Patavino Jurisconsulto, Causidico seniori, qui annos XXXV. gravissima fori negotia voce calamoque promptus summa ingenii sedulitate, atque integritate animi peregit, donec assidua clientum tutela supra vires fractus, præmaturo fato suis eripitur, communi Urbis mœrore. Ann. salutis MDCXLIII. die XX. Septembris, suæ ætatis LIX. *Jacobus Philippus Tomasinus*, Episcopus Æmoniensis frater, *Jacobus & Aloysius* J. C. filii debitæ pietatis memores P. C.

In *Seminarii Patavini sacello S. Jo.* humi in amplo marmore:

JACOBO PHILIPPO TOMASINO hujus primum cœtus Præsulis, post Æmonii Episc. morum suavitate animique probitate laudatiss. Qui non vulgari ingenio plurima scripsit, majora in Philosophia daturus, ni assiduis studiorum fractus laboribus naturæ citius concessisset, Viris Principibus carus, satis gloriæ, posteritatique commendatus, ob. Pat. 13. Junii an. Christi cIↄ Iↄ CLV. æt. 60. *Aloysius Tomasinus* J. U. D. ex fratre nepos patruo bene merenti, mœrens P. C.

In æde S. Stephani Monialium Ordinis S. Benedicti Marmor elegans in pariete sub effigie depicta:

BERNARDINO SCARDEONIO Civi, & Canonico Patavino raræ integritatis atque eruditionis Viro. Quippe qui (cæteris Christiano Sacerdote

dote dignis virtutibus fidem conciliantibus) illibatum Virginitatis florem ad ultimam usque senectutem attulisse creditus sit; cujus caritati, atque industriæ, hæc patria antiquitate, ac rerum gestarum gloria inclyta acceptam refert monumentorum suorum memoriam ab interitu vindicatam. Sacræ Virgines ad Divi Stephani, quibus ille totos quatuor & triginta annos a sacris Confessionibus præfuit, Parenti optimo ac pientissimo, hoc grati animi monumentum unanimes posuere.

Procurantibus, *Magdalena* Vercellensi Antistita, *Martino Sandellio Confessario.*

In Parochiali Sti Maximi:

JOSEPH PINUS Venetus optimæ indolis adolescens, Latinis Græcisque literis apprime eruditus, qui differendi facultatem pleno gradu ingressus mira ingenii felicitate breviter edidicit, virginitatis dote adhuc insignis, præmatura morte præreptus quiescit in hac urna, quam mœstiss. Pater *Antonius Pinus* doloris impatientiss. ad mœroris sui solatium posuit novissimo judicii die surrecturus.

Vixit annos XIX. mens. VII. die XXVIII.
Obiit X. Kal. Octob. MDLX.

INSRIPTIONES PROFANÆ.

Non procul a Parochiali S. Laurentii extra majores valuas ad lævam ingredientibus aspicitur *arca Sepulchralis*, quatuor innixa columnis, intra quam in arca cupressina, quæ altera plumbea includi-

cluditur, jacent, ut fama eſt *Antenoris* cineres reperti an. 1274. dum jaciebantur fundamenta Hoſpitii Infantium expoſitorum, quod vulgo dicitur, *Caſa di Dio*. Hi cineres primum collocati ſunt e regione domus Lupati de Lupatis Conſul. Urbis Doct. & Poëtæ inſignis; ſed anno 1283. translati ſunt eum in locum, in quo nunc extant, inſcriptis per ipſum Lupatum his verſibus:

C. Inclitus. Antennor. Patriæ vox niſa quietem
Transtulit huc Enetum Dardanidumque fugas
Expulit Euganeos Patavinam condidit Urbem
Quem tenet hic humili mãmore ceſa domus

Supra arcæ pinnaculum.

Poteſtate Nobili Viro D. *Fantone de Rubeis de Florentia* perfectum fuit hoc opus.

In altera parte ſepulchrali.

Cum quater alma Dei natalia viderat orbis
Poſt decies octo mille ducenta ſuper.
Extulit hæc Paduæ Præſes, cui nomen Olive,
Cognomen Cleri, patria Floris erat.

In *pariete S. S. Philippi & Jacobi* PP. Ord. Eremitarum S. Auguſtini inter Templi feneſtras ad Aquilonem:

MAXIMILIANUS IMPERATOR hoſtilia arma adverſus Rempublicam Venetam diſtringens hujus urbis dominatum glorioſus exaltaſſet, ſi Divæ Marinæ Numen, & Andreæ Gritti virtutem ſuperandam reliquiſſe ſibi ſuperos non ignoraſſet. Nam feſto divæ Marinæ die, Ingenio & dextera Andreæ Patavium Senatui, Senatus pri-

pristino imperio celeri felicique manu restituitur. Hoc templum tibi almæ Virgini supplex annuos canit honores. At tu invicte Heros, a Principatu inter cœlestes relatus, quod amplius tuorum operum narrabimus, a monumentis expecta. an. D. MDIX.

Anno Christi MDLXXI. Festo D. Justinæ die SELIMUS *Ottomannus* superbis Orientis Regnator inhians Italiæ, quadringentis validissimis triremibus victricia arma circumferebat. Veneta Respublica impari quidem ope, sed Christianis insignibus exultans, hosti ruenti, extremaque minanti, obviam est facta? Vicit Christus, qui classe hostili deleta, barbarica feritate contrita, anxio piorum metu depulso, gravi Christianorum jugo abjecto, Venetis gloriam dedit, æternitatem promisit.

HENRICO VALESIO III. ex Poloniæ regno ad Galliæ fastigium properanti universa dum occursaret Italia, Senatus Venetus pietate, triumpho & apparatu plus quam Regio honorem habuit. Hic templum cœlestem illius spiritum ornantem proximi theatri inclyta domus invict. corpus inusitato splendore excepit. Hoc & illa inter se cessant, ni Rex Christianissimus templum Christianissimum, domumque Regi congruentem dixisset. Anno Christi MDLXXIV.

In aula Bibliotheca vulgo Aula Gigantum.

Bibliotheca hæc olim fuit in ædibus Iesuitarum, anno autem 1630. huc translata, Principis munificen-

ficentia in ampliſſimam atque ſplendiſſimam formam redacta eſt.

Sub Cardinalis Zabarellæ effigie picta:

FRANC. ZABARELLA Pat. Chriſtianæ Reipub. tutor, Cardinalis merito creatus, ſuis immortalibus Commentariis, quæ in manibus ſunt, Juris Pontificii enigmata, nodosque ſolvit. Cum omni virtute, tum vitæ integritate admirandus. Religionem noſtram diſcordiis Præſidum nutantem Concilio Conſtantienſi in priſtinam ſedem reſtituit, quo omnium conſenſu Pontifex deſtinatus, octuageſimum fere ætatis annum agens humanis exceſſit. MCCCCXVII.

In *Bibliotheca Seminarii Patavini* 1630. conſtructa:

Quisquis a bonis artibus non abhorres, ingredere, ſuſpice, venerare libros editos, MSC. Codices & Picturas. Sacra ſunt omnia, & domus ipſa Muſis & Apollini. Canonicorum Secularium S. Mariæ ab Avantio decreto, anno MDCXXX. bono rei literariæ publico conſecrata *Jacobo Philippo Tomaſino* Priore ſedulo procurante.

In Palatio *Fori Prætorii* ad dexteram eſt lapis eminens in quo verba:

Lapis vituperii, & ceſſionis bonorum.

Occidentem verſus monumentum TITI LIVII ſub ænea effigie:

V. F.

T. *Li-*

T. Livius
Liviæ T. F.
Quartæ L.
Halys
Concordialis
Patavi
Sibi & Suis
Omnibus.

Sub *veteri statua* in antiquo Lapide:

Ossa tuumque caput cives tibi maxime LIVI,
Prompto animo hic omnes composuere tui.
Tu famam æternam Romæ patriæque dedisti.
Huic oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria hæc, & si majora liceret,
Hoc stares totus aureus ipse loco.

Adhuc infra:

T. Livius quarto Imperii Tib.
Cæsaris anno vita excessit,
Ætatis vero suæ LXXVII.
M.D. XLVII.

Ad *tumulum*, in quo ipsa ossa:

Ossa T. LIVII *Patavini* unius omnium mortalium judicio digni, cujus prope invicto calamo invicti populi Rom. res gestæ conscriberentur an. 1548.

Post ascensum scalarum ad meridiem, quæ binæ sunt super portam, quæ ad Orientem vergit, *sub nova T. Livii statua marmorea:*

T. LI-

T. LIVIUS *Patavinus*, Historicorum Latini nominis facile Princeps, cujus doctrinam & lacteam eloquentiam ætas illa, quæ virtute pariter ac eruditione florebat, adeo admirata est, ut multi Romam, non ut urbem rerum pulcherrimam, aut urbis & orbis Dominum Octavianum, sed ut hunc virum inviserent audirentque, a Gadibus profecti sint, hic res omnes, quas Popul. Rom. pace belloque gessit, quatuordecim Decadibus mira styli facilitate complexus, sibi ac patriæ gloriam peperit sempiternam.

Libro, quem manu tenet, inscriptum est:

Parvus ignis magnum sæpe suscitat incendium.
Excessit a vita VI. Tiberii Cæsaris anno, ætatis vero suo LXVI.

Super *altera*, *quæ occasum respicit*.

PETRUS APONUS Pat. Philosophiæ Medicinæque scientiss. ob idque conciliatoris nomen adeptus, Astrologiæ vero adeo peritus, ut in Magiæ suspicionem inciderit, falsoque de hæresi postulatus absolutus fuit.

Ad Aquilonem super ostium Januæ Orientem versus cum icone marmorea:

PAULUS *Patavinus* Jurisconsultorum clariss. hujus nostræ urbis decus æternum, Alexandri Mammæ temporibus floruit, ad Præturam, Præfecturam Consulatumque evectus, cujusque sapientiam tanti fecit Justinianus Imp. ut nulla civilis juris particula hujus legibus decoretur, qui splen-

ſplendore famæ immortalis, oculis poſteritatis admirandus, inſigni imagine hac merito decor.

Super liminare alterius januæ cum ſimulacro:

ALBERTUS *Patavinus*, Heremitanæ Religionis ſplendor, continentiſſimæ vitæ, ſumpta Pariſiis infula Magiſtrali, in Theologia tantum profecit, ut Paulum, Moyſen, Evangelia ac Libros ſententiarum laudatiſſime expoſuerit. Facundiſſimus ea ætate Concionator immortali memoriæ optimo jure datur.

In *muro ad Occidentem ſub ſtatua* marmorea:

SPERONO SPERONIO ſapientiſſimo, eloquentiſſimo, optimo & Viro & Civi. Virtutem meritaque acta vita, ſapientiam, eloquentiam declarant ſcripta. Publico decreto Urbis quatuor Viri P. Anno a Chriſto nato MDXCIV. ab Urbe vero condita MM. die XI.

In *pariete prope oſtium Officii Sanitatis*, ut vocant, ſub vultu marmoreo:

Venerare Pudicitiæ ſimulacrum & victimam, LUCRETIAM DE DONDIS AB HOROLOGIO, *Pyanea de Obizzonibus*, *Ortiani Marchionis uxorem. Hæc inter noctis tenebras maritales afferens tædas*, furiales recentis Tarquinii faces caſto cruore extinxit; ſicque Romanam Lucretiam intemerati thori gloria vicit. Tantæ ſuæ Heroinæ generoſis Manibus hanc dicavit aram Civitas Patavina, decreto die 31. Decembris an. MDCLXI.

In Palatio Prætoris:

ANDREÆ LEGIO, cujus diis æqua poteſtas

ſtas ſolis beneficiis ſtetit, maluitque mortales rubore ſuffundi, quam ſanguine; atque illac currere lacrymas juſſit, qua cruor iturus erat, non minus Legum, quam Legii Juventus ſtudioſa molliter & liberaliter habita, parenti opt. indulgentiſſ. P. *Chriſtiano Brun*, Dano, & Syndico & Prorectore MDCXLIII.

Super oſtium cubiculi, ſub eleganti Imagine.

JOANNI SAGREDO, ſummos honores intra juventam adepto, nam primo in Galliam, mox in Britanniam extra ordinem Legatus, tum magnus Præconſultor, atque Urbis hujus Prætor poſt breve ſpatium ad Cæſarem transire juſſus, hic ita geſſit, ut cum nihil ad gratiam ageret, omnia grata eſſent, quæ faceret, tantumque deſiderii e provincia deportarit, quantum reliquit exempli. MDCLX.

JOANNI DE CABALLIS Prætori, in quo extollendo virtus ac fortuna certarunt, cujus ætatem cum honoribus præcurrerent, beneficiis majorem repererunt, ille clementia, æquitate, ſplendore, honores anteceſſit, & titulis omnibus, quibus eum Juris ſtudioſa Iuventus ultra omnium commendationem protulit, paternæ venerationis honeſtamentum præoptavit. MDCLXVI.

MARCI RUZZINI Prætoris ſereni vultus duro marmore ſpirant, cujus mitiſſimum pectus clementia, tanquam templum, inſedit, cui cum una felicitas fuerit feciſſe felices, poſtquam Urbem annona, Gymnaſium munificentia beavit,

beavit, ita abſceſſit, ut, cum nullius unquam ſpem fruſtratus ſit, ſui deſiderium explere non potuerit. Juris ſtudioſi B. M. P. Anno MDCXCI.

ANDREÆ ERIZZO Franciſci Ducis Nepoti, cujus auguſta ſpecies tantæ fortunæ par commendat Imperium, magisque ſe mentibus omnium quam obtutibus inſinuat, nec tam ſpectantes rapit, quam mœrentes ſolatur, cum ſibi ereptum eſſe, cujus ſublimitas & manſuetudo nec invenerit æmulum, nec habitura ſit exemplum. MDCXCII.

ALOYSIUM MOCENICUM Equitem Prætorem, maximis majoribus non minorem, domeſticis faſcibus, cognatis triumphis decus additum, quo novo Majeſtatis & amoris fœdere dominum non oblitus, egit Patrem, aureis obærata beneficiis, Legalis ſapientiæ Academia, voti rea, hoc marmore in ejus obſequium animato ſibi æterna veneratione proſequendum, ſeræ teſtatur poſteritati. Prorectore Illuſtriſſ. Co. *Guido Feramuſca* Patr. Vic. MDCXLVIII.

NICOLAO MOCENICO, Principalis fortunæ paratu cunctorum munificentiam ſupergreſſo, quod ex omni Regnantium inſtrumento ſolam clementiam & manſuetudinem depromſerit, ſummamque vim arbitratus aliquid de Jure decedere, amari maluerit, quam metui, Juris ſtudioſa Iuventus non uno indulgentiæ exemplo obſtricta, parenti mitiſſimo hoc pietatis ac venerationis M. P. anno MDCL.

In interiori cubiculo ſub buſto marmoreo.

ALOYSIO MOLINO Prætori, qui, cum urbem cædibus cruentam, nocturnis inſultibus intutam, penuria ac fame prope obſeſſam inveniſſet, incredibili virtute, ac pervigili ſemper cura poſt ſævam latrocinationem repreſſam, atque adhibita juvenilibus animis fomenta, ut pacem pati vellent, annonæ rerumque omnium affluentiam, adverſus anni ſterilitatem, fundosque mendaces invexit, & pro corrupto ac perdito Urbis ſtatu optimum ac feliciſſimum, longo etiam impoſterum proviſu induxit. Juris ſtudioſi, Muſarum ac Civium ſoſpitatori P. P. *Guſtavo Adamo Baner* Jo. Fil. de Mulamer, Noerby, Verder &c. Sveco, Syndico ac Prorectore, Anno Domini MDCLII.

ANDREAM PISANUM Prætorem, Gymnaſii columen ingens, ſed breve publicæ felicitatis bonum, ubi vix ſibi oſtenſum abripi videre ſapientiæ cultores, ut aliqua ratione perpetuum redderent, ejus effigiem vice ſpeculi ſacrarunt, in quod, qui regnant, quique regnantur, non ſine fructu intuerentur, Anno MDCLIII.

ALOYSIO PRIOLO paternæ venerationis titulum promerito, quod ſub motis peccandi cauſis leviores lapſus, atque ætatis licentiam clementer æſtimarit, & in pudoris notam ſupplicio converſo ſuffundere maluerit juventutis ſanguinem, quam effundere. Artium ſtudioſi ſummo regnandi artifici effigiem ſacrarunt, anno MDCLIV.

AN-

ANGELO CORRARIO Prætori. Qui Veneto cœlo delapsus populis, quoscunque adiit, beneficus, ac salutaris, his etiam terris usura brevi commodatus, mansvetudine, celeritate & consilii præstantia nominis augurium implevit: hoc etiam, quod in ipso rerum ingentium molimine evocatus est, ut pacis ac felicitatis Internuntius Romanum orbem collustraret. Literæ ad disciplinæ Cyllenium sidus sibi modo ostensum, beneficiis præsens adorant, atque erepti desiderium augusta imagine solantur, anno MDCLVI.

Post ascensum scalarum in Magna Aula in ornato marmore:

Hoc militari aspectu, cultuque civilis Imperii insignibus radiante, spectantium oculos rapiebat ALOYSIUS MOCENICUS, incertum, bello an pace clarior, cum a Turcicis trophæis recens in Urbe, studiorum altrice, Ottomannicas manubias Musis consecraret, fessisque rebus subveniens, fovendis ingeniis laudem fœneraret. Juris studiosa juventus, suum cuique decus rependens, sacros vultus, quam publicis hostibus formidatos, tam clementiæ fulgore coruscos, æternum grati animi monumentum statuit, anno MDCLVIII.

Ibidem in media Aula cum busto marmoreo:

DOMINICO GRITTO Prætori, qui egregia Majorum in hanc urbem merita, novo decore cumulaturus, largo annonæ provisu, pacisque & concordiæ studio, fortunæ magnitudini par

civium voto major sacrum publicæ pietatis ærarium plebis egestati levamen institutum injuria temporum labefactum & prope collapsum, incolumi jure atque immunitate restituit, & post Præturam etiam tuendum sibi, & conservandum suscepit, quatuor Viri & ejusdem ærarii curatores hoc æternæ laudis M. P. anno 1677.

Ad *ingressum Cubiculorum Palatii* extrinsecus, ubi statua figuris ornata:

Siste prodigiorum amator. Lege, & omnia decora in uno collecta nosce. Hunc aspice, alium concipe. Hic cœlicus Spiritus humanos artus indutus pacis & justitiæ conservator, bonorum vigilans, malorum judex misericors; agilis ad motum pro cunctis, facilis ad intelligendum pro singulis. Æque vivet in ævum, si bene intelligis hujus naturam. Cupis clarius nomen audire? Iterum perlege, & errare ne dubites; nam in aliis colligi nequeunt hæc Intelligentiarum recensita ornamenta, quam in ANGELO DIEDO, *Prætore*; cujus immortalitati posuit anno Domini MDCLXXX.

In *eadem Aula proxima loco audiendis causis* destinato, sub marmorea statua:

ANGELO DIEDO, Prætori præstantissimo, cujus ea fuit civilis prudentiæ fama ac sapiens in judicando celeritas, cum mora conjuncta, ut concurrentibus certatim ad cortinam litigatoribus, plurium ætatum dissidia aut composuerit aut diremerit. Causarum Patroni, nullis unquam actionibus, ampliationibus, aut comprehensionibus

fati-

fatigatum admirati, hoc æternum χαϱιστήϱιον P.P. Anno MDCLXXXVII.

Ibidem sub altera icone marmorea:

ANGELO DIEDO Prætori præclarissimo, quo nemo sanctius justitiam coluit, nemo profusius Juris cultoribus favit; Juris & Justitiæ studiosi Juvenes, non uno indulgentiæ exemplo obstricti, hoc grati animi & venerationis monumentum P.P. Anno MDCLXXXVII.

In *Atrio ædium Prætoris* (Podesta) prope locum Decurionum sub simulacro marmoreo:

ANGELO DIEDO Prætori, tutelari hujus Civitatis Numini, præclaras Avorum virtutes suis longe prætergresso, justitia, clementia, vigilantia summe conspicuo, annonæ ubertate enixe conservata, sacrilegis templorum expiatoribus memorando exemplo mulctatis, Themidis oraculis sine ulla ambiguitate redditis, comitate citra Majestatis periculum mire exercita, Decuriones devincti animi tesseram æternum duraturam P. P. MDCLXXXII.

Ab hoc non *procul*, *sub insignibus Joannis Cornelii*, Ducis Veneti:

Quod bonum, faustumque, felixque in perpetuum fiet, JOANNI CORNELIO, Augustissimo Principi, bono rei Venetæ nato, cujus saluti publica securitas innititur. Decuriones Patavini, quod olim splendide & innocenter gesta cu-

pide privatim conceperant, nunc ad honorum apicem evecto publ. decreto læti P.P. M. DC XXIV.

JOANNES JUSTINIANUS Marci Antonii inclyti Venetiarum Ducis Frater

Visu atque auditu juxta venerabilis, cum miro severitatis atque mansuetudinis temperamento res olim difficillimas Imperium ac libertatem miscuisset, eos amoris, ac venerationis fructus tulit, ut factæ pacis atque annonæ memoriam hic omnium gratulatione spectetur, quo discedente nemo lacrymas tenuit. M DC LXXXVIII.

ALOYSIO SAGREDO Eq. Zachariæ Parentis æmulatori, publici otii vigilantiss. custodi, scelerum acerrimo vindici, Nobilium moderatori humaniss. plebis piissimo Patri, justitiæ typo, clementiæ archetypo, prudentiæ miraculo. Decuriones devinctorum civium in argumentum P. M. DC. LXXIV.

In Palatio Præfecti; (Gouverneur ou Capitaneo)

In *ipso ædium atrio* sub duabus marmoreis imaginibus;

BERNARDUM MEMMUM & VINCENTIUM AMULEUM inspice, & suspice duos Patavii moderatores, unum Virtutis exemplar, inter cætera immortalis beneficentiæ impressa vestigia, publicis actis ampliorem hanc ædem aperiebant, propriæ gloriæ, & publicæ felicitatis Theatrum. Anno reparatæ salutis 1683.

Tantis atque eximiis Moderatoribus *Venturi-*

nus

nus Valle Cancell. Phiſcalis, hoc obſequ. animi vectigal perſolvit.

Ibidem ubi gemini marmorei vultus:

D. O. M. D. M. V. & B. A. C. P.

In ANGELO DIEDO, ALOYSIUM PISANI, in Piſani Aloyſio, angelum Diedo, in utroque, unam virtutem, Moderatorem unum. Nomine alterum, utrumque moribus & ingenio Angelum. Duos in una ſpecie Angelos, magni conſilii in privatis negotiis & publicis. Nihil obrutos publicis, nihil dedignatus privata, ad publica animi præſentiam eandem, quam ad privata; ad privata eandem celſitudinem mentis, quam ad publica præ ſe ferentes. Publicæ privatæque utilitatis æque ſtudioſos, atque ſuæ negligentes æternum monimentum complectatur. An. ſal. noſtræ 1687.

In *Cancellaria*, ubi Archivium ſeu Tabularium cum ſtemmate:

ARCHIVIUM, ad Jura publica ſervanda, ad urbis ſplendorem, forique commodum, Proceſſorum Succeſſorumque memoriam ab Antonio Grimano Joan. Baptiſtæ, D. Marci Procur. filio, Præfecto, Oratore ad Pontificem deſignato, conſtructum. anno 1665.

In *medio aulæ* ſurſum altius in pulchro marmore:

Hujus auguſtalis, humilis antea nimis & jam obſoleti *Joannes Maripetro* Præfectus auxit veſtibulum, ornavit oſtium, illuſtravit aulam, ut reſpon-

deat Reipublicæ Præfecturæ, Urbis dignitati, & illius erga Patavinos benevolentiæ, Anno salutis humanæ 1607.

JOANNI GRIMANO Eqv. D. M. Præf. Antonii Proc. F. duorum Procuratorum Fratri; qui incertum facundia, an consilio major, visu atque auditu venerabilis, post legationem ad Cæsarem omnium, quas sol viderit, splendidissimam. Urbis Præfectus, hoc veluti secessu, in altitudinem consiliorum conditus, ædium vultu ac stipatu magnos Reges provocat; mansuetudine ac facilitate populis immixtus, Imperium ac libertatem miscuit; Themidis sacerdotes summa Justitia posuere, anno MDCXLIX.

In eadem aula, sub icone marmorea.

PETRO DELPHINO Præfecto, qui literas ac disciplinas fovit impensius, quia, quodcunque illæ præcipiunt, abundo præstitit, ac beneficiis magis, quam remediis ingenia experiri, bonaque facere maluit, quam cogere. Cui juventus, cum omnia debeat, sibi videtur ingrata, si eum Præfectum appellet, quem semper Patrem experta est. Anno Domini MDCLXVI.

Sub depicta icone, marmoreis ornamentis insignita:

Præstantissimo merito HIERONYMI JUSTINIANI Effigies hisce penetralibus sacrata est, quæ sicut exporrectæ frontis honore, & augusta oris dignitate reliquas imagines antecellit, ita illo

ille clementia, liberalitatis fulgore cæterorum Præfectorum luminibus obstruxit, MDCLXII.

In *splendido ignis camino* regii cubiculi, ad occidentem.

Ut olim Romana curia solam Censorii Catonis effigiem recepit, Philosophantium in hac urbe cœtus unam NICOLAI CAPELLI imaginem placida oris majestate serenam sacravit, hocque illi comitium instar atrii esse voluit. Par utriusque virtus, nisi quod hic mitior & a nullo unquam accusatus est.

Anno MDCLIV.

Sub *icone marmorea*.

SEBASTIANI JUSTINIANI *Præfecti* Simulachrum, quod paupere saxo aureæ Virginis cultores posuerunt, si fortuna votis respondisset, stare aureum jussissent, quando ille duro seculo aureos mores induxit, aurique animosus contemptor, utili rerum annona soli virtuti, ac literis pretium posuit. Anno Domini MDCLII.

Super ostio secundi cubiculi sub statua marmorea:

Hæc ad Præfectos intima penetralia infra dignitatem humilia & vetustate labentia VINCENTIUS GUSSONUS Eq. & Præfectus firmatis fundamentis cubiculisque, pervio inter se usu aperto, concinna serie dispositis, in hanc digniorem formam redegit, anno 1626.

Super ostio Bibliothecæ publicæ:

GABRIELI ÆMO Præfecto; quod Biblio-

thecam ventis atque imbribus perviam, libris situ corruptis, ipsisque parietibus vitium ducentibus sartam tectam exegerit, & absterso squalore in pristinum cultum restitutam, insigni liberalitate auxerit *Octavius Ferrarius* B. M. P.

In *ipsa Bibliotheca* :

BENEDICTO SYLVATICO Patricio Pat. Eq. Philosopho, ac Medico, Viro omnium artium virtutumque nomenclatura claro, Medicinæ peritia per Europam inclyto, ad morbos longe difficillimos a Cæsare, aliisque Orbis Christiani Dynastis in certam spem salutis non semel extracto, in Patrio Gymnasio post duo supra triginta annos confluentibus, undique terrarum auditoribus stipendia feliciter confecta, primariæ Medicinæ, ut vocant, Practicæ, nomen titulumque sine exemplo in exemplum adepto, acerrimo de R. P. bene merenti avitæ laudis æmulo, ob mille quadringentos triginta quatuor Pontificios, civilesque libros a Majoribus ingenti sumptu conquisitos ad instruendam operatissimam hanc ingeniorum officinam, ingenti erga R. P. animo, Senatui oblatos monumentum hoc tanquam auspici tanti operis, ut P. P. poneretur, publice decretum est. Anno MDC XXX.

Sursum in ipsa Comitiorum Aula ad lævam in pariete cum figura picta, T. L.

Romanæ Historiæ parens, humanæ Princeps, sæculi sui decus, proximi labor, remoti stupor, visus Gaditanis, Roma ipsa visu dignior, at Roma vere major

major, qui peritura Romanorum acta, stylo æterno mandavit æternitati.

Ibidem *sub figura Julii Pauli* Pat.

J. *Paul, Pat.* Legum Sanctor, ac summus Interpres, qui de Papiniani sacrario totam, quam hauserat, Themidem ad nostra usque tempora produxit, in ævum quodcunque duraturam, sic erunt leges donec homines, erit Paulus donec orbis.

ARIA *Pati Cecinæ uxor*, quem Scriboniam, cui adversus Claud. Cæs. adhæserat, in Illyrico deleto raptum, militibus piscatoria in navicula Romam usque sequuta, ubi damnatum comperiit, parieti caput illisit & corruit, refocillata, pugionem sibi in pectus adegit, extractumque viro porrexit, additis immort. illis vocibus; Non quod feci, sed quod facies, dolet.

Thrasea Pæto.

Cum postremo Nero ipsam virtutem excindere cogitasset, THRASEAM PÆTUM damnavit, deditque mortis arbitrium. Ille accepto Senatus Consulto, Helvidium ac Demetrium Cynicum in cubiculum induxit; lætitiæ propior, quia Helvidium generum arceri tantum Italia cognoverat. Porrectis utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, libemus, inquit, Jovi liberatori.

In *aula Episcopii a* Petro Barotio exstructa ornataque imaginibus Episcoporum an. 1494. ut ostendunt insignia octo *Familiæ Barotiæ*, quorum bina depicta quolibet in angulo ejusdem aulæ sunt pro-

pe

pe laquear. Super una ex orientalibus fenestris in marmorea tabella:

Antiquas veterum Episcoporum imagines, injuria temporis labefactatas, ne quorum animos divina effigie virtus æternitati consecrasset, eorum picta corporis simulacra posteri desiderarent, *Federicus Cornelius* Episc. Patav. non tam illorum gloriæ cultor, quam virtutis admirator instaurandas curavit, an. 1578.

Ibidem in alio marmore:

Ecclesiæ Patavinæ fastos, sacras Pontificum effigies vetustate non semel victas, *Federicus* Cardinalis *Cornelius* restituit, easdem situ corruptas atque evanescentes *Georgius Cornelius*, Patrui Magni virtutum ac gloriæ æmulator, ut Antistitum populus atrium Majestate sua dignum incoleret, absterso squallore in pristinum nitorem redigi curavit. An. 1654.

Supra *Portam Decumanam Lycei*, ubi Leonis statua inaurata, & insignia Rectorum urbis:

GYMNASIUM omnium disciplinarum, Principe Paschali Ciconia, Præsidibus Johanne Superantio Eq. & Federico Sanuto. Reformatoribus Jo. Franc. Priolo Doctore, Zacharia Sagredo, Leonardo Donato Eq. instauratum an. 1591.

In *suprema ædificii contignatione* sub insign. Ducis *Ciconiæ:*

Sic ingredere, ut te ipso quotidie doctior, sic egredere, ut indies patriæ Christianæque Reipublicæ utilior evadas. Ita demum Gymnasium à te

te feliciter ornatum exiſtimabitur. Joannes Cornelius Prætor, & Antonius Priolus Præfectus, Anno ſal. MDC.

Supra horti Medici oſtium in amplo marmore:
Trium-Viri Literarii:

1. Portam hanc decumanam ne pulſato ante diem Marci Euangeliſtæ ante horam vigeſimam ſecundam.

2. Per decumanam ingreſſus extra decumanam ne declinato

3. In Viridario ſcapum ne confringito, neve florem decerpito, ne ſemen fructumue ſuſtollito, radicem ne effodito.

4. Stirpem puſillam, ſucreſcentemque ne attrectato, neve areolam conculcato, tranſilitove.

5. Viridarii injuria non afficiuntor.

6. Nihil invito Præfecto attentato.

7. Qui ſecus faxit, ære, carcere, exilio multator.

Ex *adverſo portæ Decumanæ* in marmore valde ſpecioſo:

SYLVESTRO VALERIO *Principe* III. Vir. liter. S. C. Jubentib. ALEXANDRO MOLINO, *Præfecto* Apollineæ infulæ decus. Adîtum hortus duplo auctus, clauſtriſque ferreis munitus, plantæ ex utraque India invectæ, perennes excitati fontes.

In *facie ædium Præſidis* altius a terra in marmore:

ANGELO MARCELLO, quod Muſarum vireta ſylveſcentia interlucaverit, atque areſcen-

tibus herbis Castalios latices induxerit, nudisque stirpibus florum coronamenta naturæ mundum adjecerit. Quo tempore Urbis Præfectus eradicato omnis hostilitatis aconito, pacificas oleas lauris triumphalibus inserebat. N. B. M. P. Anno MDCL.

Intra Pontem Tadorum, *in atrio inferiori domus Tomasinæ:*

Deo Vivite, Sereniss. Reipub. Venetæ obsequium præstate, omnes honorate, nullumque cujuscunque sortis spernite, pro nemine fidei jussione Vos obstringite, sic vivite, ut posteri vos rexisse intelligant. *Paulus Tomasinus* J. C. filiis suis testamento reliquit.

In Domo *Com. Hieronymi Frigimelicæ* in lateribus Magnæ Portæ in lapideis tabulis literis auratis:

Hac, quam spectas Viator, in æde Majorum æmulator, & hæres Co. HIERONYMUS FRIGIMELICA *Robertus* mente æquavit, an ampliavit avorum. Quodcunque senseris, intelliges, illum uno eodemque conatu se, Nepotes, & Avos magnifice commendasse. an. 1670.

In Arce seu Castello:

Piis Carcerem aspergite lacrymis, quem Majores vestri cruore, hic ætatis, sexus, conditionis, morum nullo discrimine habito, quos *Acciolinus* tertius de Romano inhumaniter vivos detrusit, inedia, dolore, desperatione non nisi mortuos atque consumtos extraxit, inter tot innocentes Zilius,

quod

quod incredibili feritate hoc viventibus condidit ſepulchrum, nocens mortuus eſt. Veſtram hinc agnoſcite felicitatem, qui optimum Principem nacti invidiæ, non pietati locum reliquiſtis. *Sebaſtianus Galvanus* Patavinus, annona & toto bellico apparatu a Sereniſſ. Veneta Rep. in hac arce ſuæ fidei commiſſis, teterrimo carceri hæc ex hiſtoriis inſcribenda curavit. Anno Dni. cIↃ IↃ c XIIX:

In fine *regionis portæ Omnium Sanctorum*, in proximo propugnaculo, ſub Leone Marmoreo & ſtemmate, in ornato marmore:

Hoc, Hoſpes, opus tibi indicat, an JULIANUS GRADONICUS, qui Patavium ornavit atque munivit, Anci meruerit nomen; at tu ſi legeris acta, Ariſtidem quoque dices, nam talem egit Prætor, qualis quilibet eſſe deberet, Anno MDXVIII

Ad portam Portelli, *ſub* buſto marmoreo:

Hoſpes ſic egredere,
Ut ANGELUM DIEDUM Prætorem eximium venereris,
qui regnandi artibus ac virtutibus univerſis
ita Civium omnium devinxit animos,
ut hinc ſecum ipſe diſcedens
ultiones in triumphum evexerit.
ſic ingredere,
Ut fortiſſimi Ducis FRANCISCI DIEDI
memineris,
qui ANDREA GRITTIO Collega
immiſſis per hanc portam Venetis copiis
a Ca-

a Camera consis conjurationis faucibus ereptam
ac Reipublicæ assertam
pristinæ felicitati restituit,
Milites liberatores
Portæ omnium Sanctorum inciderunt.'
MDCLXXXVII.

Ad *Portam*, *per quam* naves, Venetiis venientes, intrant:

Urbem ineant inaves, jussit GARZONIUS, amni
Jam dubio cujus numine aperta via.

In *altero Portæ latere:*

FRANCISCO GARZONIO,
Præf. & Propræt.
qui
ædificium hoc
funditus ad instar voraginis aversum
& jamdiu navibus impervium
mira animi contentione
reficiendum,
atque adeo, navigandi commodo, amplificandum
curavit.
Jus in vectigali habentes,
quod
pro potestate a Senatu ipsi delata
certam portorii rationem constituerit,
grati animi mon. pos.
anno sal. MDCCXVIII.

Aponi ([illegible]no) quod [illegible] est amœniss. Therm. celebribus clarum, non procul Patavio distan

i

in templo juxta aram B. V. a Rosario in pariete marmor elegans, in cujus peripheria:

Piis Manibus Illustrissimi atque Excellentiss. D. D. WENCESLAI FERDINANDI S. R. I. *Com. Popel. de* LOBKOWITZ, Domini in Bilin & Liebst S. A. Regiæque Majestatis Camerarii, Consiliarii status, ac Equitis aurei velleris hoc monumentum mœstissimi hæredes P. P.

In *corpore Petræ Epitaphium*:

D. O. M. Chare steteris Viator: statim præteri, cursim lege, perpetim luge; ah! quantus viator hic præteriens præteriit. Sic præteriit figura mundi. Foris Austriaci Mercurii Pentaglossus ad aquilas, lilia, Turres, Leopoldi Imper. ter Augusti, ter Orator, emenso orbe, quem cognato, purpuris, sanguine, virtute, sapientia attonuit; demum Vindobonam redux & valetudinis gratia ab itinere divertens, ubique quæsitam Apponi reperit salutem. Hic medico pedes imbuit cœno, at eluto mortalitatis luto animam induit cœlo. Ita per lutum, aquam, ignem transivit ad refrigerium, empyreo quam piræ maturior, fatis quam fastis dignior. Trepidaverat paulo ante tellus, non tam ruinæ præsaga, quam indignata; aut tantis parem meritis sibi lauream deficeri, aut tantum eripi Reipubl. Atlantem flammantes lacrymas, madentes flammas adfluere funeri tres pupilli, plures pupillæ, Euganeo thermas daturæ clivo, nisi haberet. Posthac ergo bis Calendas flebis undas ter flebile Aponon heu! Magnus Viator; Luce Sanctæ Luciæ. Anno MDCLV.

Luce Sanctæ Luciæ anno MDCXCVII. Luci fluxæ natus fulsit, denatus fluxit. Lux perpetua luceat ei.

Humi in templi ferme medio:

Magni Ministri Illustriss. & excellentissimi D. D. WENCESLAI FERDINANDI S.R.I. Com. Popel. de LOBKOVITZ, Domini in Bilin & Liebst urna celantur, majora elogia, in pariete cælantur.

Exuviæ trifariam sepultæ:

Epigramma.

Pars hic, pars Bulinæ, pars Bragæ: nempe jacere
Uno non potuit tanta ruina loco.

Sequuntur Inscriptiones novem, quarum priores quatuor sparsim jam impressæ exstant, quinque autem posteriores nondum adhuc editæ sunt.

I.

In

CAROLUM XII.

Suecorum, Gothorum, Vandalorumque

Regem quondam Augustissimum

Epigraphe.

Æternæ Memoriæ

Optimi Principis,

CAROLI XII.

Suecorum, Gothorum, Vandalorumque

Regis quondam Augustissimi,

Quem

Quem Suecia produxit;
Plusquam dimidia pars Europæ vidit;
universus denique orbis miratus est.
Juvenis Heros
Danis Saxonibusque pacem dedit;
Silesiis Religionem restituit;
Sarmatas in ordinem redegit;
Russos internecione semel delevit;
Turcis virtutem suam probavit.
Rex
Pace & bello inclytus;
In præliis imperterritus;
In obsidionibus indefessus;
Artis rei militaris apprime peritus,
Imperator sub specie gregarii;
Gregarius virtutibus Imperatoriis indutus.
Frugalitatis & humilitatis sectator
Intemperantiam & fastum inutilem ab exercitu
exulare jussit.
Aristidis abstinentiam imitatus
Multos locupletavit;
Sibimetipsi nil reservavit.
Adamatus a suis;
Adoratus ab exercitu;
Formidolosus hostibus
Rebus in Europa gestis justum dedit æquilibrium,
Postrema duo ætatis novennia illustrem fe-
cerunt Regem;
Alterum in cursu rerum gestarum felici,
In sinistro alterum.
In utraque tamen fortuna
Semper idem Eidem vultus

 eadem.

eademque frons;
Etiam in maximis periculis
& mari & terra
perpetuo ſibi conſtans.
Herculem duodecim laboribus memorabilem
Fabuloſa tradidit antiquitas.
Carolum duodecimum innumera patrantem
præſens vidit ætas.
Plura fecit,
Quam quæ monumentis tradita ſunt;
Majora,
Quam quæ credi poſſunt.
Loquetur poſteritas;
Secula futura admirabuntur;
Nonnulli fabulis facta miſcebunt.
Deſcendere in unum *Carolum*
Pietas & fortitudo *Guſtavi Adolphi*;
Velocitas & imperterritus animus *Caroli Guſtavi*;
Dexteritas & vigor agendi *Caroli XI.*
Paucis:
Fuit
Mars ſine Venere;
Alexander ſine Vino;
Hannibal ſine luxurie;
Cæſar ſine philautia.
Rex Victor ſine arrogantia.
Gloriam quæſivit;
Gloriam invenit;
Glorioſe tandem occubuit.
Cecidit ſtans
ut Imperatorem decet,
in acceſſibus Fridrichshalæ in Norvagia

obſi-

obſidionalibus,
catenatis tormenti globulis ictus,
munitiones & machinationes hoſtium exploraturus.
Satis erit dixiſſe:
Cecidiſſe
Carolum XII.
Orbis miraculum,
Heroa conſummatiſſimum,
Anno M D C C, XIIX.
nocte,
(ne quisquam exiſtat dies,
irreparabilis illius jacturæ nuncius)
inter 11. & 12. Decembr.
ætatis ſuæ XXXVI. ann.
quo obitu præmaturo
nil niſi deſiderium ſui ſuis relictum eſt.

II.

Ad
ULRICAM ELEONORAM,
Svecorum, Gothorum, Vandalorumque
Reginam Auguſtiſſimam,
Regale ſolium fauſtis avibus
conſcendentem,
votiva ac devota
Acclamatio.

En! Orbis,
Novum in Septentrione oriens ſidus,
Regio diademate coruſcans,

ULRICAM ELEONORAM,
Svecorum, Gothorum, Vandalorumque
Reginam Augustissimam,
Tot Heròum Hæredem felicissimam,
Regalis domus columen & culmen,
Imperium avitum
Clementia animoque ad pacem composito auspicantem.
Plaude Septentrio,
dulcesque in flammas liquesce,
aç pene exspira.
Fallor:
Vive, spera.
Iam Regina redit, redeunt Saturnia regna;
Postquam Parcæ inexorabiles noluerunt parcere
Regi incomparabili,
Heroi fortissimo,
Carolo XII.
in medio vitæ cursu fatali eheu! casu extincto.
Claude Jani templum,
Septentrionalis Augusta,
Atque Palladis palmas tuis distribue.
Extirpa
Monstrum bellorum horrendum,
Cerberum tricipitem,
Mavortis fœturam,
Innumerum malorum numerum post se trahentem.
Redde
Neptuno naves,
Mercurio merces,
Apollini literas,
Parentibus liberos,

Uxo-

Uxoribus maritos,
Calamitate temporum hinc inde dispersos.
Sat prata biberunt sanguinem,
belli furore effusum.
Sat victoriarum redundarunt in gentem Arctoam,
a multis jam retro seculis tot laureis superbientem.
Siste gradum, Bellona,
locumque cede Irene perexoptabili.
Fiet, auguror,
fiet brevi.
Annuit votis
Ulrica Eleonora,
Gratiosa Parens Patriæ,
Gratias ipsas gratia & benignitate superans.
Imperium auspicatur
Amore & Clementia,
quo nihil majus,
nihil Regina dignius;
Cordibus enim magis imperare avet, quam corporibus.
Vincit ac devincit sibi animos suorum,
Agitatis ad pacem cum vicinis ineundam consiliis.
Frena Reipublicæ capit,
Quod nec Momus carpit,
non effrena, sed jucunda.
Tenet gubernacula navis,
Tot diu tempestatibus agitatæ.
Noli timere, Orbis Aquilonaris,
Ulricam possides.
Possides Reginam,
Pacificam & Paciferam.

Tranquilla parat halcyonia
Regno,
Vicinis,
Universæ denique Europæ.
Est Ipsi ad latus *Conjux Celsissimus,*
Princeps
ob insignes genii generisque dotes,
ob rerum gestarum magnitudinem,
toto orbe inclytus.
Causam communem agunt
Tot Regni Proceres,
Experientia rerum undiquaque consummatissimi.
statibus Imperii
Prisca sua noviter restituta est dignitas,
liberum in comitiis suffragium.
Rempublicam Romanam in dominatum olim
convertit
Cæsar Augustus;
Dominatum Svecicum nunc in Rempublicam commutavit
Ulrica Regina,
Magno Augusto Major Augusta;
Una die tot annorum opus laudabili conatu
destruens.
Titum Vespasianum delicias generis humani antiquitus vocabat
Populus tot populorum Domitor;
Delicias suorum *Ulricam* esse quis neget?
Ardent amore simul & obsequio
Frigido sub climate pectora;
Æterna ad æthera mittunt vota,
Fata ut fiant meliora.

Spe-

Sperant, non desperant;
Augurantur sine augurio:
Ævo *Ulricæ Eleonoræ*
reservatam divinitus esse
Gloriam seculi reflorescentis,
Pristinamque Svecici nominis celebritatem.

III.

Festivæ Solemnitati,
sacræ
Augustissimi Principis,
FRIDERICI,
Svecorum, *Gothorum*, *Vandalorumque*
Regis,
hoc nomine *primi*
Principis Hassiæ Hæreditarii,
& reliqua,
unctioni & inaugurationi
dicatum.

Salve
Dies auspicatissima,
Publicæ Septentrionis lætitiæ nuncia,
quæ
FRIDERICUM,
Hassiæ Principem hæreditarium,
Divina Providentia,
Reginæ desiderio,
communibus Procerum Ordinumque regni
suffragiis.
in Svecorum, Gothorum, Vandalorumque

Regem
electum & evectum
universo annuncias orbi.
Mirandum Divinæ Sapientiæ opus!
Quem nuper casu fatali *Caroli* quassatum,
ruinam minitantem,
timebamus Polum Arctoum;
Nunc firmatum gaudemus virtute *Friederici.*
Dignus tanto Prædecessore Successor!
Bellonæ artibus a puero innutritus *Friedericus*,
Ducem se formavit gentis,
a longinquis jam inde temporibus bellicosæ.
In Batavis,
In Italia,
Ad Rhenum
Hassiacus prolusit Alcides,
Donec Sveonibus Dux præficeretur.
Occultis Fatorum consiliis,
Vivente adhuc *Carolo*,
adoptatur in affinem;
mortuo; in Regem.
Ita est:
Regina ferendo Atlantem,
Principem participem fieri voluit ærumnarum,
ut dulcedinis;
Quem thori socium habet,
habere etiam vult regni.
Olim
Genti Arctoæ
Gustavus Adolphus per *Christinam* dedit *Carolum Gustavum*,
Nunc

Ca-

Carolus per *Ulricam Friedericum*,
Heroës per Heroinas Heroas;
Hoc tamen discrimine,
Ut, quæ regnum abdicavit tædio,
Illa id cesserit amore.
Qualis porro amor mutuus!
Quæ harmonia inter Imperantes & Parentes!
Videntur certare invicem,
Illi gratia, hi obsequio;
Omnibus in corporibus dixeris cor unicum.
Magnetica virtute, *Rex*, cunctorum allicis animos;
Quo propiores Polo, eo proniores & procliviores.
Vicisti tuos bonitate & clementia,
Ut ferro hostes.
Ergo
Tibi, *Friederice* optime,
Coronam tibi collatam terrarum orbis gratulatur.
Senatus Populusque Suecicus,
Victoriarum apud exteros partarum fructus numeratus,
Te Victorem corona dignum judicavit.
Opinantur & ominantur omnes,
Aureum, non æneum,
Ferax, non ferox seculum,
Omni rerum affluentia abundans.
O terque quaterque felicem Principem!
Ipsummet Pacificum, tribus Pacificis, *

* Tres isti Reges, Friderici nomine insigniti, sunt:
Fridericus IV. Rex Daniæ,
Fridericus Augustus, Rex Poloniæ,
Fridericus Wilhelmus, Rex Borussiæ.

Regi-

Regibus vicinis, amicum.
Verum ævi noſtri Salomonem. **
Nomen ex geſtis, geſta ex nomine ferentem,
bello natum, ut pacem coleret.
Feſtinavit ſcilicet Fatum in *Carolo*,
ne orbis vota in FRIEDERICO ſuſpenderet.
Luſit ſic in humanis Divina Potentia rebus,
Ut, quæ armis non poterant acquiri,
Pace comparentur & componantur.
Perge, *Rex* magne, reliquos diſſolvere nodos,
Tu, qui grandia ſemper vel paraviſti vel patraviſti.
Ita monſtrabis,
Te, quod reliqum eſt, poſſe domare hoſtium,
Et pacem afferre Polo.
Fiat!

** Salomo idem eſt ac Fridericus, Pacificus.

IV.

Piis
MAGNI STENBOCKII
Manibus Sacrum.

Morare, Viator,
Lege, ſis;
Cineres heic jacent
Illuſtriſſimi beatæ memoriæ Comitis,
MAGNI STENBOCKII,
Senatoris quondam & Mareſchalli Regii.
Multa neſcis, ſi genus Stenbockiorum
& de la Gardiorum in Suecia neſcis.
Illuſtribus ortus Majoribus
profa-

prosapiam perantiquam novis nobilibusque factis
ornavit, auxit.
Faustis auspiciis
Nominis omen implevit.
Ab adolescentia in exercitibus versatus
multa præclara gessit.
In prælio Fleuriano,
In expeditione Selandica,
In liberatione Narvea,
In trajectu ad Dunam,
In rebus Leopoli & Elbingæ gestis
operam studiumque suum præcipue contulit.
Ipse Dux
prope Helsingburgum & Gadebuschum
triumphum a Danis bis reportavit.
Res Suecorum, absente Rege, restituit;
simul autem
Patriæ inserviendo semetipsum consumpsit.
Fatalis illa Tonninga
Hostibus Victorem concessit.
Sæpe Victor,
Raro saucius,
Nunquam captivus;
Post victus,
necessitate & perfidia,
animo & corpore æger,
in captivitatem abducitur.
Per totum propemodum lustrum
carceris custodia tenetur,
injuria afficitur,
afflictione opprimitur,
fame & inedia pene necatur.

Quod

Quod invidia conflaverat,
Inimici fomentarunt ;
σκληροκαρδία abſolvit.
Ita eſt:
Hoſpes apud hoſtes moritur;
in carcere, liber natus;
in ſqualore, illuſtris ;
in egeſtate, liberalis ;
in ſolitudine, Dux exercitus.
En
ſortem funeſtam,
fata acerba,
exitum tragicum
Viri de Patria tantis nominibus meriti.
Novum Beliſarii exemplum!
Dixi paucis multa.
Abi Viator.
Diſce,
nec genus,
nec honores,
nec præclara facinora
felicitatem ſtabilire ullam
ante obitum.

Obiit Hafniæ in Caſtello Friedrichshavenſi
die 23. Febr. MDCCXVII.
quinquaginta & quatuor ann. nat.
Placidam defuncto quietem
apprecare!

V. Epi-

V.

Epitaphium.

EVA MAGDALENA OXENSTIERNIA,
Magno Stenbockio olim nupta,
ſplendore originis,
ſagacitate ingenii,
venuſtate corporis,
deliciis conjugii,
fœcunditate prolis,
candore pietatis,
ſuavitate morum,
omni denique virtutum genere,
nulli ſui ſexus ſecunda,
mœrore potius quam annis,
ob triſte & Mariti * & Filiæ ** fatum,
confecta,
amato illius cineri,
corpus exanime,
ne & in morte ſeparentur,
jungi heic voluit.
Vixit annos L dies
Obiit m. Martii MDCCXXII.

* Lege ſis Inſcriptionem præcedentem.
** Ulrica Magdalena Stenbock, Comiti Wachtmeiſterò, Admiralis vices gerenti, nupta, in primo puerperio primisque quaſi vitæ annis, variolis exſtincta.

VI.

In Illuſtrisſimam Comitem,
Ulricam Magdalenam Stenbock.
forma egregiam.

Adeſto

Adeste formarum Spectatores,
contemplamini
Venerem, *
Naturæ miraculum.
Hanc Cypri in littore natam olim fuisse
Fabula est:
In Svecia nascitur.
Non est spumosa illa a Poëtis fabulata Venus;
Non amplectimur pro Junone nubem;
Veneramur Venerem,
inter formosas formosissimam.
Atque sic in numerum Dearum relatam illam esse
ne credas;
nec in cœlum receptam.
Vivit adhuc,
&, ut porro vivat,
huc ivit. **
Adfligit Sveciam lues pestifera;
Veneri tamen nostræ parcunt Parcæ.
Metuunt enim,
ne, si has destruant urbis & orbis delicias,
iratos offendant Deos.
A Venere tandem ista diversas esse Gratias
qui putat,
male computat.

* Veneris partes egerat in ludo quodam scenico, a juventute utriusque sexus ordinis in Svecia primarii in honorem Ducis Holsatiæ natalem suum celebrantis, Holmiæ quondam habito.

** Venit enim Holmia Malmogiam, sedem Scaniæ Gubernatoris ordinariam, quam spartam Comes Stenbockius, Pater, tunc temporis ornabat.

Con-

Concurrunt omnes in gratia hujus Veneris Gratiæ.
Hinc quadruplex & unica eſt Venus.
Ulrica Magdalena,
Magni Stenbockii & Evæ Magdalenæ Oxenſtierniæ
Filia natu maxima.

VII.

Epitaphium.

En! Lector,
Matronam illuſtrem,
Eliſabetham Annam Stiernſchiöld,
hoc tumulatam tumulo.
Orta eſt
ex illuſtri *Stierſchiöldiorum* proſapia,
matrimonio & affinitate juncta
cum non minus illuſtri *Sparriorum* familia.
Genere magna,
Virtutibus major,
Pietate maxima.
Inter Chriſtianos vere Chriſtiana, dicam Chriſtianiſſima
In mundo vixit non immunda,
quantumlibet non immunis.
Per Sueciam illam tulit
Fortuna;
Per omnes Nobilium Aulas,
Fama;
Per æthera;
Fatum;
Ad æternitatem,
Mors.
Fuit autem

Mira fortunæ pila;
In omnibus tamen adversitatibus * patiens,
quia sapiens.
Nunc
post angusta ad augusta,
post fastidia ad fastigia,
post curam ad cœlorum curiam
abiit.
Dum vivebat, moriebatur;
Dum mortua est, vixit.
Satis igitur vixit,
quia bene vixit.

* Ablati enim ipsi erant per reductionem illam famosam aliquot millium thaler. annui reditus.

VIII.

In Obitum B. Comitis
ULRICÆ MAGDALENÆ STENBOCK.

Sic Varioli variant rem.
Quam nuper cecini Venerem,
Naturæ miraculum,
Pallida naturæ jam soluit debitum.
Quæ fugax formæ gloria!
Primitias matrimonii offert Marito;
Sed ultimum vitæ eo ipso attingit diem.
Quæ brevis gaudii meta!
Partus sueta discrimina superat læte;
sed superatur triduo post variolorum lue lethifera.
Quæ tristis rerum catastrophe!
Sic est:
Cecidit, eheu!

Ulrica Magdalena Stenbock,
Wachtmeisteri lectissima Conjux,
Iuventutis Suecicæ flos, florum formosissimus.
Obitum Phœnici similem experitur;
Perit, dum unicam parit,
in simili rediviva.
Ut contraria juxta se posita magis elucescant,
corpus venustissimum
fœditissimo morbi genere adficitur.
Variis variolis petitur,
Ut unica forma, quid? Venus ipsa pereat.
Periit,
morteque sua
Parentem utrumque Filia,
Maritum Uxore,
Filiolam Matre,
Fratres Sorore,
Familiam deliciis plurimis
orbavit.
Heu! quot jacturæ!
Pietatem, decus, integritatem,
scientiam multifariam, pudicitiam, gratiam,
hic mors conclusit.
Plura dicere vetat mœror.
Invidere terris tantas Virtutes Superi.

IX.

In B. Comitem Oxenstierna.

BENEDICTUS Comes ab OXEN-
STIERNA,
Quatuor Regum Minister,

Trium Senator,
Duorum Primarius Rerum Præses,
singulorum Amor,
In Regno Subditus, extra Regnum Civis Universi.
Curator boni publici,
Pacis vel Suasor, vel Conciliator, vel Servator.
Ecclesiæ Orthodoxæ Antistes;
Politicus, & Vir probus;
Minister, & Vir bonæ fidei;
Aulicus, & Vir pius.
Non Simulator, non Insidiator, non Prævaricator;
In consulendo Providens, in agendo Dexter,
In utroque felix.
Postquam ultra dimidium Seculi
Foris per Legationes, Domi per sua munia
Res maximas egregie gessit,
Supra Fortunam, supra Invidiam
Gloriæ & Vitæ satur,
Cineres tumulo, Animam Cœlo, Famam Orbi,
Honesti exemplum Posteritati
reliquit,
Civium heu! dolor, Gentium desiderium.
Quisquis es,
si bonam mentem, si Virtutem, si merita publica amas,
Benedicto benedic,
& tales usque Publico Curatores opta.
Natus in Arce auita Mörbii d. 16. Julii 1623.
Obiit Holmiæ d. 12. Julii 1702.

FINIS.

IN-

INDEX I.

urbium,

quarum Inscriptiones recensentur

INDEX II.

nominum & familiarum.

B.

C.

S. Chri-

Leo-

Ca-

R. *An-*

R.

S.

T.

INDEX III.

Imperatorum.

Ha-

INDEX IV.

Regum.

INDEX V.

Pontificum Romanorum.

 Cœ-

INDEX VI.

Ducum.

Aloys.

4) Duces Urbini.

INDEX VII.

Extraneorum.

FINIS.

